Jur[...] [...]icum

Bulawski Laur. Joan. Cant. Quaestio iuridica de optione canonica.

2306 Prawo.

IN NOMINE DOMINI AMEN.

QUÆSTIO JURIDICA

DE OPTIONE CANONICA

Ex c. Cùm in tua. De Consuet. in 6to. junct. c. Licèt. & c. Præsenti. De Præbend. in 6to. Et ex l. Quoties. & l. Mancipiorum. ff. De Optione vel Electione legata. junct. §. Optionis. Instit. Imperial. De Legatis.

DESUMPTA,

Sub felicissimo Regimine

MAGNIFICI PERILLUSTRIS CLARISSIMI & ADMODUM REVERENDI DOMINI

D. M. JOANNIS JOSEPHI RYGALSKI

Sacræ Theologiæ DOCTORIS & PROFESSORIS, Collegæ Majoris, Ecclesiarum; Collegiatæ Sancti FLORIANI Clepardiæ ad Cracoviam CUSTODIS, Parochialis in Antiqua Korczyn CURATI, Contubernii Geloniani & Coloniæ Academicæ Neo-Corcinensis PROVISORIS, Studii Generalis Scientiarum Universitatis Cracoviensis Amplissimi

RECTORIS,

pro loco in Collegio CC. DD. Jure-Consultorum Universitatis Cracoviensis obtinendo,

per

M. LAURENTIUM JOANNEM CANTIUM BULARNI AA. LL. & Philosophiæ DOCTOREM, Collegam Juridicum Vocatum. ad respondendum in publica Hospitum frequentia *in Lectorio Collegii Juridici Universitatis Cracoviensis*

PROPOSITA.

Annô Domini 1773. Die 27. Mensis Aprilis.

In Gentilitium Stemma
BĘTKOWSCIANÆ DOMUS:



Nox erat, & Cælô fulgebat Luna serenô. — *Horat.*
Nunc pleno lucida cornu. — *Boëtius. l. 1.*
Clarumq; Cæli Sidus & noctis decus. — *Senec. in Hippolito.*
Fortia jam Lunæ se cornua lumine complent. — *Virg.*
Plenîs explevit cornibûs orbem Luna. — *Ovid. 7. Metam.*
Quis nolit ab isto - - ense mori? — *Lucanus l. 2.*
Toto descendimus ense in jugulum Scythiæ. — *Claud. de bel. Get.*
Ensis habet vires, vitiorum sector & hostis. — *D. Ennod.*
Doctus solvere vincula quæstionum.
Et verbi gladiô secare sectas. — *Sidonius Apollinaris.*

Ad

PERILLUSTREM ac ADMODUM REVERENDUM DOMINUM.

D. JOSEPHUM

DE BĘTKOWICE

BĘTKOWSKI

Sacræ Theologiæ DOCTOREM, Ecclesiarum; Collegiatæ Sandecensis ac Collegialis Becensis PRÆPOSITUM & Parochialis in Dąbno CURATUM, OFFICIALEM Becensem, DOMINUM MECÆNATEM AMPLISSIMUM.

Cùm ego diutiùs atqué frequentiùs intra me cogitarem, cuinam isthanc Quæstionis Juridicæ de Optione Canonica opellam consecrare possem, & ecce (spe jam prorsus omni remota) à Domino factum est istud, ut, cùm è prelo typographico absq; suo Mecænate in publicum prodiret; Tu decori ac ornamento ejusdem præstò occurreris. PERILLUSTRIS ac ADMODUM REVERENDE DOMINE MECÆNAS AMPLISSIME. *Equidem non abs re hoc in puncto gloriari expedit, favisse*

meis

meis bona Numina votis. Nam si ii; qui aliquas lucubrationes juris publici faciunt, maximo sibi honori (ùt compertum est) fortunæq; ducunt, cùm eas magnis Nominibus; aut virtute & doctrina præstantissimis inscribunt Viris, profectò id ipsum adpræsens mihi obvenisse video; TE PATRONUM ac MECÆNATEM GRATIOSISSIMUM, *Virum & claritate generis & amplitudinè meritorum, & sublimitate eruditionis conspicuum in fronte hujusce operis exhibendo. Ast sine me præprimis quæso hic Tuorum Majorum honores Tuis laudibus prohibere, avitasq; laurus & palmas è numero Tuorum ornamentorum excludere: in Tuæ gloriæ partem* OSTOIANÆ *Familiæ Nomina prisca non veniant: nihil Tibi de suo splendore; nativaq; luce contribuant Majores, neq; etiam patriæ dignitates ad majorem Tuæ laudis amplificationem accedant. Potes atria diducto ordine Tuorum Procerum simulâcrîs implere, Antiquorumq; Stemmatîs exornare vestibula: attamen quidquid ab illis in Te derivatur luminis, minus est; quàm quod illis vicissim rependis de Tuarum virtutum & laudum claritate. Quid enim ad Te ornandum, ad auxilium avitæ gloriæ confugiam? cùm Tu numerosa omnium virtutum copiâ; propriîs exornatus laudibûs usquequaq; redundes. Tibi Majorum splendoribûs, ad Te illustrandum nihil opus esse censeo, cùm facias æqualia & fortasse majora. Eorum tantùm gloriam Tibi ad virtutis incitamentum adhuc à teneris proposuisti, ut Te non abjecto genere dignissimam sobolem exhiberes, hæreditariumq; decus adjecto Tuarum virtutum adaugeres nitore: ne solùm inaniter (ùt plerisquè lubet) Majorum laudes & ornamenta jactitares. Hoc Tibi semper fuit studium, nec usquèadeò in Te desinit* MECÆNAS AMPLISSIME, *ut laudabilium operum magnitudine Prædecessores Tuos exprimeres, magisquè animô, quàm tabulîs circumferres imagines Majorum. Non Tibi crepundiîs & nugîs ætas puerilis effluxit, nec inter delicias & voluptates acta segnis adolescentia, sed sub Sanctissima religiosorum hominum disciplina educatus; politioribûs literîs, atquè humanîs disciplinîs imbutus nulla intercessit dies, quin aliqua protuleris egregiæ indolis, futuræquè virtutis insignia. Siquidem non Te à rebus Cælestibus ludi, non à piis exercitationibus nugæ, non aliquod à virtutis calle obscænum abduxit lenocinium. Sed maturiorî supra ætatem ingeniô, quæ cæterorum animos adolescentium, voluptatum irrîtamenta titillant, avocarequè*

à vir-

à virtute faciunt, Tu ab intemerato animo omnibûs sordibûs defæcato penitus amovisti. Responderunt profectò sibi invicem, nec ulla adolescentiæ fuere cum juventute aut virili ætate dissidia, quas uno semper & eodem virtutum tenore sociâsti. Arduum quippe est illius ætatis præfervidæ impetus cohibere, divitiisq; non tradere mores, atqué inter affluentia undiq; bona & blandimenta fortunæ nulli se permittere voluptati, Tui verò præstantes animi dotes sese lætiûs in adolescentiæ virore protulerunt; tum pietas; ut in lubrica ætate mirabilis, ita inter cæteras speciosior effulsit. Unde venit: quòd animus Tuus magnis, maximeq; arduis aptissimus, speciali imò rara perfectione præditus, mira in agendis prudentia instructus, magnis nonnisi ac singularibûs oblectaretur. Horum specimen dedisse tunc etiam es visus, cùm vix pubertatis emensus annos; Philosophicâ insignitus laureâ sub umbram LUBRANSCIANI GODZIEMBA non otii, verùm Scholastici laboris ergo; ab Alma Studiorum Matre Universitate Cracoviensi missus fueras ad mentes Juvenum honestis artibûs imbuendas Magister. Qui quantum Juventuti Sarmaticæ incolenti Majoricam in Collegio Lubransciano Professor; literarum cum virtutibus, eruditionis cum pietate aut instillâsti, aut instillare contendisti? pro re acceptissima in memoria eousqué habet, nec æviternùm habere desinet Universitas nostra. Invitabant Te quidem Stoa, & Peripatus, Academus & Lycæa virentes Summis in Facultatibus fronti Tuæ præparando Corymbos, quia nihilominus intra Te judicâsti prudentissimè, idem esse mereri Laureas; ac illis redimiri, hinc Tuum protunc subtraxisti eis verticem, Scholasticis Ecclesiasticas Exedras, Professorali Officio Pastorale, Apollineis Musis curam animarum præferendo. Et certè; optabaris gregi Domini bonus ex animo Pastor, expectabaris Præpositurali in Biecz & Parochiali in Dąbno Ecclesiis fulcrum, factus es optimus, & liberalissimus utriusqué FUNDATOR. Optimum Te nuncupavi Pastorem! & non abs re. Quidquid etenim vel ad sublevandam indigentiam proximi, vel ad instruendum in via errantes pertinet, totum in Te ceu in crystallo radii, in sole jubar patentissimè elucescit, utpote; qui factus commissi Tibi populi vigilantissimus Custos, charitate Pater, pascis eundem verbô, opere & exemplô. Verbô: ignorantes docendo, consolando mæstos. Opere: sublevando egestate pressos, subveniendo afflictis. Exemplô: dum nempe nihil non

pro-

probum, nihil non pium agens; ad similium æmulationem charismatum calcar & stimulum addis. Quodsi Zelum Tuum circa salutem animarum commemorare vellem? jam hic cesset dicendi ratio, vis & energia non subsistat verborum, est necesse. Ita prodigus es virium, sanitatisq; Tuæ, ut quoties aut Cultûs Divini ratio, aut proximi exigit utilitas, non Tibi sed aliis genitus esse videaris. Atqué hinc non tantùm Ecclesiasticorum redituum, verùm etiam (quod eò mirabilius, quò rarius practicari solitum) Patrimonii non Dominum, sed Dispensatorem æquè, piè ac prudenter Te existimans, totum in Sponsarum Tuarum ornamentum largiùs imbre diffudisti. Non est hyperbole, quod loquor (veritatis quippe non assentationis studiosus fieri volo) testes adsunt omni exceptione Majores Sacri Ecclesiæ Becensis Penates, quos hostili vastatos rabie munificentissimâ Tuâ cumulâsti dextera, eorumqué diminutum hac temporum injuria splendorem, pristinò enixissimè curâsti restitui nitori. Et hæc est vera, fortis ut mors Sponsæ Tuæ dilectio, Qui semel tenerrimo Illius ductus amore, pretioso cultu, interno & externo eam exornas decore, curis & expensis non parcis, ne inculta vel minùs Splendida Divinis humanisqué oculis appareat. Planè Tibi affectus ille, qui cum JOSEPHO ab infantia in promovendo Cultu Divino crevit in dies, in momenta adolevit. Observavit hoc in Te lynce pupilla CONSISTORIUM GENERALE CRACOVIENSE, & quanti decoræ mentis Tuæ pretium æstimaverit, declaratum esse voluit; cùm magnis in Ecclesia Dei muneribus destinatum; Officialatu Becensi dignissimum censuit ac decrevit. Vidit & Consummatæ Sapientiæ jubar laureis coronatum, unio Septemtrionis Alma Universitas Cracoviensis, & velut gemmam pectoris sui unicè dilexit, cùm ad Honoris Theologici Lauream, à Tuis eximiis dotibus decus & ornamentum habituram, paulò antè ingenti cum jubilo invitavit. Videt insuper etiamnum Orbis Polonus ac Summi in illo Viri, Purpuratiq; Proceres eam in Te Sapientiam & dexteritatem, eam mentis elegantiam, ac oris, vultusq; comitatem, eam tractandorum animorum peritiam & suavitatem, quæ priscam aurei ævi, ac gemmarum gloriam cùm præferat: in deliciis meritò universorum habetur. Ast hic subticeo majora: Magnum Tui Nomen MECÆNAS GRATIOSISSIME potiùs silentiò, quàm scripturienti penna veneror,

ror, ſciens illud perbellè: nihil Tibi acerbius eſſe, quàm si id oculis humanis pateat, in quo Tu Solam duntaxat Oculi Divini pupillam reſpicis. Suſcipe jam itaquè hanc exiguam, quam Tuo Nomini debita cum reverentia offero, dedicoq; opellam, ego verò ſupplices in Cælum tendam manus, ut TE MECÆNATEM AMPLISSIMUM *omnigena felicitate, amplitudine, gloriâ circumfuſum;* DEUS TER OPTIMUS MAXIMUS *in ampliorem Sponſæ Suæ Coronam, quantocyùs faciat adoptare. Ita precor, ita voveo.*

PERILLUSTRIS ac ADMODUM
REVERENDI DOMINI
DOMINI MECÆNATIS AMPLISSIMI.

devinctiſſimus Cultor.

M. L. J. C. B. A. O.

Sin -- malum vobis videtur, ut Domino serviatis, optio vobis datur: eligite hodie quod placet, cui servire potissimum debeatis, utrum diis, quibus servierunt patres vestri in Mesopotamia, an diis Amorrhæorum, in quorum terra habitatis: ego autem & domus mea serviemus Domino. Josue 24. v. 15.

QUÆ-

QUÆSTIO JURIDICA
DE OPTIONE CANONICA.

UTrum Jus Optandi, Conſvetudine, Statutô, aut Privilegiô introductum; competens regulariter ſolis Canonicis in Cathedralibus, & Beneficiatis in Collegiatis Eccleſiis; habeat locum in omnibus rebus, Perſonis Eccleſiaſticis; poſsitq; per contrarium uſum tolli, ac eidem valeat derogari necne?

CONCLUSIO I.

Jus Optandi Consvetudine, Statutô aut Privilegiô introduci (a) potest.

Corollarium 1mum. Optio deducitur à verbo *Opto*, quod duplicem significationem habet: aut enim sumitur pro *desiderare* quod est commune: aut pro (b) *eligere* seu *Electione*. Et quamvis juxta nonnullos *Optio* differat ab *Electione*, quòd illa de duobus, ista verò dicatur (c) de pluribus: nihilominus & *Optio* aliquando (d) fit in pluribus. Definitur autem *Optio Canonica*, quòd sit Jus eligendi Præbendam vacantem. Ideoq; illa optatur seu eligitur, quia desideratur: quod enim priùs mente optavimus, re ipsa (e) eligimus. Seu est Jus quoddam (f) Capitulo sive Collegiali alicui Ecclesiæ ex Consvetudine vel statuto competens, ut antiquiores gradatim vacantem Præbendam, quæ reservata non sit, propriâ dimissâ, intra certum tempus eligere possint.

Et dicitur *Jus quoddam* id est legitima (g) potestas. Dicitur *Capitulo seu Collegiali Ecclesiæ competens*: nam hoc Jus solùm (h) Capitulis & Ecclesiis Collegiatis, necnon Religiosis Collegiis convenit. Et non competit Canonicis, ùt singulares Personæ sunt, ast ùt constituunt Capitulum. *Tum* quia à majori parte Canonicorum fit, fieriq; solet Optio. *Tum* quia Jus hoc cedit ad commodum ac decus totius Ecclesiæ & Capituli. *Tum* quia Jus istud Optandi nunc Consvetudo, nunc Privilegium, nunc Statutum Ecclesiæ vocatur: condere autem Statuta pertinet ad totum (i) Capitulum. Vel ut cum Philosophis loquamur:

Jus

(a) *DD. ap. Monet. in Tract. de Optione Canonica.* (b) § *Optionis Instit. Imper. de Legat.* & *l. 2. ff. de Option. Vel Elect. Legat.* (c) *l. 3.* § *Item optare ff. Ad exhibendum.* (d) *d. l. 2.* & *l. manciporum ff. de Option. Vel Elect.* & *l. His consequenter ff. Famil. Hercisc.* (e) *Alciatus in l. Alienationis.* V. *Optionem. ff. de V. S.* (f) *cc. DD.* (g) *l. 1. ff. De tutel.* (h) *text. in c. Cum in tua De Consvet. in 6to.* & *ibi DD.* (i) *DD. in c. Cum omnes. De Constit.*

Jus Optandi *in actu primo* competit ipsi Capitulo aut Collegio: *in actu verò secundo* seu exercitium ejusdem juris optandi competit ipsis Personis (a) de Capitulo aut Collegio: Dicitur *alicui Ecclesiæ*: siquidem non in omnibus (b) Ecclesiis extat hoc statutum seu Consvetudo optandi. Dicitur *ex Consvetudine vel Statuto*: nam utroq; modo induci potest, ùt infra dicemus. Dicitur *ut Antiquiores gradatim eligere possint*: non modò quia primò antiquior mutare suam, seu optare possit vacantem Præbendam, sitq; ante juniorem omnino admittendus, etsi nolit primus, possit secundus; & nolente secundo possit tertius: sicq; (c) de singulis. Sed etiam si primus optet vacantem Præbendam, possit secundus optare dimissam à primo, & tertius dimissam (d) à secundo, & sic de cæteris. Dicitur demum *intra certum tempus*: ad optandum enim tempus præfixum est, & non perpetuùm, licèt aliquando mutari possit, ùt infra patebit.

Corollarium 2dum Triplex est accidentalis divisio Optionis. *1ma* Species quòd alia est Statutô inducta. *2da* Species, quòd alia est Beneficiorum Spectantium ad Collationem Papæ, alia spectantium ad Ordinarii provisionem. *3tia* Species, quòd alia est Canonicorum, alia Mansionariorum, alia Equitum, alia S.R.E. Cardinalium. Et quamvis dentur alii, qui Collegium aliquod Ecclesiasticum constituunt, quales v.g. Auditores Rotæ Romanæ, & Clerici Cameræ Apostolicæ; istorum tamen ascensus seu Optio, cùm neq; sit de Beneficio, neq; de re ad Beneficium pertinente, non est vera & propria, sed solummodo similitudinaria & exemplaris.

Corollarium 3tium. Jus Optandi quamvis non sit Jure communi inductum, attamen innititur veritati Canonicæ, quæ vult antiquiores præferri Canonicis novis, & Seniores in Ecclesia (e) junioribus. Diximus *Antiquiores* non ætate, sed

(a) *Monet. loc. cit. cap. 1. q. 2. n. 18.* (b) *text. in d. c. Cum in tua. de Consvet. in 6. & ibi DD.* (c) *gl. in d. c. Cum in tua §. gradatim.* (d) *text. in d. c. Cum in tua ibi* = & illa quæ optata non fuerit, erit illi, pro quo scripsimus, conferenda. (e) *Can. Quid proderit. Can. Statuimus dist. 61. ibi* = Valde iniquum & absurdum, ut imperiti Magistri novi antiquis, & rudes præferantur emeritis =

ſed tempore, quo in Eccleſia (a) militaverunt. Cæterum ejuſmodi Jus Optandi Conſvetudine (b) induci poteſt, quæ Conſvetudo Optandi eſt rationabilis, & à Jure (c) approbata.

Cùm verò Conſvetudo alia ſit contra Jus, alia præter Jus, etiam Conſvetudo (d) Optandi, alia eſt præter Jus, alia contra Jus. *Conſvetudo Optandi præter Jus eſt*, quando Optans retinet ſemper primum titulum, aut Jus Spirituale, & duntaxat optat portionem, ſeu Præbendam temporalem ſeparatam. *Conſvetudo Optandi contra Jus eſt*, quando Præbendæ ſunt annexæ Canonicatibus, & non retinetur primus titulus, ſed mutatur, Optanſq; propria authoritate alium diverſum titulum ſpiritualem conſequitur. Itaq; quemadmodum ad Conſvetudinem *contra Jus* legitimè inducendam requiritur ſpatium 40. annorum de Jure (e) Canonico, ad Conſvetudinem *præter Jus* requiritur ſpatium 10. annorum, niſi agatur de præjudicio tertii privati, nam tunc ad Conſvetudinem *præter Jus* legitimè inducendam requiritur (f) ſpatium ſaltem 30. annorum aut ſi agatur de præjudicio Eccleſiæ, quia & tunc requiritur (g) ſpatium 40. annorum Pariter Conſvetudo Optandi *præter Jus* ſpatiô 10. & Conſvetudo Optandi *contra Jus* ſpatiô 40. annorum (h) inducitur.

Aliqui verò, quæ eſt communis Opinio, ita diſtingvunt: aut in Eccleſiis nulla eſt diſtinctio, numeruſve Præbendarum, nec certus numerus (i) Canonicatuum, & in his nequit introduci ejuſmodi Conſvetudo. Aut eſt certus numerus Canonicatuum, ſed nullus numerus (k) nec diſtinctio Præbendarum, & tunc quoq; non habet locum talis Conſvetudo, quia in iis

Eccle-

(a) *gl. in d. c. Cùm in tua §. Antiquiores: De Conſvet. in 6to.* (b) *gl. in d. c. Cùm in tua §. Cum vacant.* (c) *DD. ap. Monet. loc. cit. cap. 2. n. 1.* (d) *Gonzal. ad Reg. VIII. Cancell. gl. 34. n. 12. & ſeqq.* (e) *cc. DD. in c. fin. De Conſvet. in 6to.* (f) *Afflict. Decis. 321. n. 18. cum aliis.* (g) *c. 8. De Praſcript. & cc. DD.* (h) *Monet. ubi ſupra n. 13. & ſeqq.* (i) *c. Dilecto. c. Vacante De Præbend. & c. Ex parte De Conceſſ. Præbend.* (k) *c. fin. §. Si autem eod. in 6to.*

Ecclesiis per Administratores Capituli bona, seu fructus dividuntur inter Canonicos, & quantò in pauciores sunt, tantò majores portiones percipiunt, & è contra. Aut est certus numerus Canonicatuum, & totidem etiam sunt Præbendæ, sed non distinctæ, quinimò bona quò ad Dominium Capituli sunt communia, super quibus absq; actuali aliqua distinctione institutus est numerus Præbendarum, correspondens numero Canonicatuum: & tunc si Capitulum per Officiales suos Bona administrat, dequé fructibus collectis tot facit æquales portiones, quot Canonici, non potest etiam introduci hæc Consvetudo: cùm enim non sit dare unam ex illis portionibus meliorem aliâ, non cadit Electio, neq; Optio. Si verò Capitulum non administrat per Officiales suos dicta Bona, sed ea dividit in tot Præbendas, quot sunt Canonici, consignando cuilibet Præbendam suam ad tempus, & secundùm quod Capitulo placet, ita; ut eo elapso, iterum in Commune reducantur, fiatq; nova Bonorum divisio, tunc in ejusmodi Præbendis sic divisis, quoniam nequit hæc divisio fieri ita æqualis, quin inter eas cadere possit Electio, potest etiam habere locum Consvetudo Optionis Præbendarum, induciturq; spatiô 10. annorum.

Verùm si in Ecclesiis non solùm certus est numerus Canonicatuum & Præbendarum, ast etiam illæ Præbendæ realiter, actualiter & perpetuò sunt inter se distinctæ, ita; ut non sit unum Beneficium Ecclesiasticum, sed dos unius actualiter & omnino distincta sit à dote (a) alterius, & hoc casu Consvetudo optandi, nequit (b) minorî spatiô induci, quàm 40. annorum. Et ut rem breviùs expediamus: ubi non sunt distinctæ Præbendæ, Consvetudo inducitur spatiô 10. annorum, decennalisq; Consvetudo (c) sufficit, ubi Consvetudo Optandi est *præter Jus*. At ubi actualiter sunt distinctæ Præbendæ, requiritur ad inducendam legitimam Consvetudinem Optan-

(a) *text. in c. Literas De Concess. Præbend. & Clement. fin. De Præbend.* (b) *ex DD. ap. Monet. loc. cit. n. 17. & 18.* (c) *Gonzal. loc. cit. n. 14.*

ptandi ſpatium 40. annorum, ùt (diximus immediatè cùm ſit (a) *contra Jus*. Quod etiam extenditur, inquantum Conſvetudo talis derogat (b) Juri alterius, nempe ad quem ſpectat collatio Præb ndarum. *EXCIPE* Optionem Domûs Canonicalis, ad quam Optandam Conſvetudo 25. annorum (c) valida eſt: cùm per Optionem Domorum non mutatur aut acquiritur aliquod Jus Spirituale, prout in Præbendis diſtinctis accidit, & Domus Canonicalis potiùs in mera (d) temporalitate conſiſtit.

Corollarium 4tum. Præter præfixum à Jure tempus ad inducendam Optandi Conſvetudinem requiritur ſcientia & patientia Ordinarii Collatoris nempe Epiſcopi, quod intelligendum de Conſvetudine decennali, non autem (e) quadragenaria: in hac enim ex eo tempore præſumitur tam ſcientia, quàm tacitus conſenſus. Inſuper requiritur ſcientia & conſenſus ſaltem tacitus majoris partis (f) Capituli, illeq; non erroneus, aſt requiritur, quòd ejuſmodi Optandi Conſvetudo inducta fuerit ex certa (g) ſcientia, animoq; inducendi Conſvetudinem. Ad quam optandi Conſvetudinem, ſicut & ad aliam quamlibet inducendam unicus actus (h) non ſufficit, etiamſi ſit notorius (i) toti populo, niſi ſit actus ſucceſſivus, vel Judiciarius, & niſi ſuffragetur Poſſeſſio pacifica quadragenaria.

Quot verò requirantur actus in ſpecie ut Conſvetudo optandi inducatur, Judicis (k) arbitrio relinquitur, cujus intereſt conſiderare qualitates actuum & Perſonarum, quæ illos actus faciunt: illiuſq; eſt attendere, ut tot actus intercesſerint, quot veriſimiliter in notitiam populi (idem dicendum de Collegio & quavis Univerſitate) devenire potuerint. Debentq; actus iſti eſſe (l) interpolati

&

(a) *gl. & DD. in c. fin. De Conſvet. in 6to* (b) *Monet. loc. cit. n.* 19. (c) *Idem n.* 20. (d) *Gonzal. loc. cit. n.* 62. (e) *Ioan. Andr. in Summ ad c. fin. De Conſvet. in 6to.* (f) *c. Cùm Conſvetudinis & ibi gl. v. Conſenſu De Conſvet. & DD. ap. Monet. loc. cit. à n.* 23. (g) *Petr. Raven. ad tit. De Conſvet Sect.* 3. *n.* 59. *& ſeqq.* (h) *text. in l.* 1. *&* 2 *C. quæ ſit long. Conſvet.* (i) *Petr. Raven loc. cit. & plures alii.* (k) *DD. ap. Monet. loc. cit. n.* 35. (l) *Bart. in l. De quibus ff. de legib. q.* 2. *Bald. in fin. De Conſvet. & alii.*

& conformes, aliàs ex uniformi observantia: nam ex observatione difformi consvetudo (a) non inducitur.

Ad hoc autem ut possit induci ista Consvetudo Optandi, sicut & alia quæpiam, debent esse illi, qui consvetudinem inducere volunt, ejusdem Juris Optandi (b) capaces, vel si non sunt capaces, fiant tamen tales ex Speciali Privilegio & Dispensatione (c) Summi Pontificis. Quare cùm quodcunq; Collegium sive Regularium, sive Sæcularium Clericorum sive etiam Laicorum capax sit ex Speciali saltem Privilegio Summi Pontificis Beneficiorum aut Commendarum, poterit etiam ejusmodi Consvetudinem inducere. Et ita in Collegio S.R.E. Cardinalium locum habet Optio titulorum tam Episcopalium, quàm Diaconalium & Presbyteralium, modò Optio intra eundem Ordinem fiat. Ita in militari Religione S. Joannis inducta est Consvetudo optandi Commendas, per quam antiquiores seu priùs ingressi Religionem, pingviores Commendas cùm vacaverint, optant, sicut antiquiores Canonici meliores eligunt Præbendas, ùt diximus suprà. Ita & alii Clerici inferiores Canonicîs, qui ab aliis *Mansionarii*, ab aliis *Portionarii*, ab aliis *Assisii* (d) ab aliis ùt in Mediolanensi Ecclesia Officiales vocantur, possunt hanc Consvetudinem inducere, ut & inter se optent sua Beneficia, & optent etiam Præbendas (e) Canonicorum cúm nihil repugnet, quin Clerici & Presbyteri simplices optent Canonicatus vacantes, & Canonici Dignitates: semper namq; optatur (f) Præbenda ab aliis, qui sunt de Corpore illius Ecclesiæ. Quod si Consvetudo optandi tolleretur simpliciter ab aliqua Ecclesia per Pontificiam Constitutionem, quamvis non posset ex eadem causa similis Consvetudo induci, bene tamen ex nova causa, vel accedente expresso consen-

(a) *Rot. Decis. 19. n. 6. & Decis. 72. n. 28. & seqq part. 2. in noviss divers.* (b) *gl. in c. fin. v. legitimè præscripta & text. in c. Quanto. De Consvet.* (c) *Innocent & Abb. in d. c. Quanto & Monet loc. cit. n. 40.* (d) *text. in c penult. junct. gl. v. Assisios. De Cleric. non resident.* (e) *Monet. ubi supra.* (f) *Idem loc. cit. cap. 3. n. 6.*

ſenſu Pontificis, vel etiam ſinè nova cauſa, ubi ſolùm præterita Conſvetudo in Specie (a) ſublata eſt.

Corollarium 5tum. Quemadmodum Conſvetudine ita & Statuto Jus Optandi induci poteſt. Et quidem Statutum de Optando fieri poteſt (b) ab Epiſcopo, quò ad Beneficia ſpectantia ad Illius tantùm collationem; & non ab inferioribus, ob defectum poteſtatis. *AMPLIA* quòd Epiſcopus poterit condere (c) Statutum Optandi in Eccleſia ſua quò ad vitam ſuam: quod durabit perpetuò ſi acceſſerit conſenſus (d) Capituli. Immo etiam Privilegiô aut Indultô Apoſtolicô Jus Optandi induci poteſt, ob plenitudinem (e) poteſtatis, quam habet Papa in Beneficialibus.

CONCLUSIO II.

Jus Optandi regulariter competit ſolis Canonicis Cathedralibus & Beneficiatis in Collegiatis Eccleſiis.

Corollarium 1mum. Cùm ſinè lege loqui (f) erubeſcamus, nullaq; Legis aut Juris Conſultorum authoritate fulciamur, eapropter dicimus, *Optionem Canonicam* non habere regulariter & propriè locum in aliis Beneficiis, præterquam in Canonicatibus. *Tum* quia Optio inter plures datur, plura autem Beneficia ſolùm ſunt in Eccleſiis Cathedralibus & Collegiatis. *Tum* quia, quando *text. c. fin. De Conſvet. in 6to ibidq;* *DD.* de Optione Beneficiorum loquuntur, Præbendam vacantem optari dicunt, & Optionem vocant Præbendarum, Præbendæ verò nomen propriè ſolùm locum habet in Eccleſiis (g) Cathedralibus & Collegiatis, ubi adſunt Canonicatus, Dignitates ac Perſonatus. Exceptis Conſvetudine & Statuto, vigore quorum (ùt diximus ſupra) etiam in aliqua Univerſitate aut Collegio Manſionariorum vel aliorum portionem Beneficialem obtinen-

(a) *Idem loc. cit. cap. 2. à n. 45.* (b) *DD. ap. Monet. loc. cit. à n. 49.* (c) *gl. in c. 7. §. Epiſcopi. De his quæ fiunt à Prælat. ſinè Conſens. Capit. & DD in c. Dudum De reb. Eccles. non alien. in 6to.* (d) *Monet. loc. cit. n. 60.* (e) *c. 2. De Præbend. in 6to & Clemen. 1. ut lite pendente.* (f) *Authen. De triente & Semiſſe Collat. 3. tit. 5. cap. 5.* (g) *tot. tit. De Præbend. & Conceſſ. Præbend. & ibi DD.*

nentium in Collegiali Ecclesia Jus optandi (a) habetur.

Corollarium 2dum Optio non habet locum in Beneficiis seu Præbendis (b) in Curia seu apud Sedem vacantibus. Quod extenditur etiam ad grossos fructus, qui à Præbenda & distributionibus (c) distingvuntur, si obtenti fuerint per Canonicum in Curia defunctum, optari eo defuncto (d) non possunt. Neq; requiritur Specialis derogatio Consvetudinis aut Statuti etiam jurati de optando, quando alicui providetur de Præbenda in Curia (e) vacante: cùm earum Præbendarum libera dispositio (f) spectat ad Summum Pontificem. Paria namq; imò & idem sunt, vacare in Curia, & apud (g) Sedem: quamvis non sit idem: Beneficium esse reservatum & vacare (h) in Curia: sed reservatio habet se ad vacationem in Curia, sicut genus ad Speciem.

Variè autem dicuntur vacare Beneficia in Curia. 1mò per Obitum alicujus Beneficiati ad Curiam Romanam venientis, ab eavé recedentis, si in ea vel prope eam ad duas dietas legales (i) decedat. Item si duobus in Curia Romana super Beneficio sibi collato litigantibus, uterq; vel utroq; moriente, alter, qui est Possessor in Curia decedat. Aut si alter tantùm ~~sive~~ Possessor, sive petitor in Curia decesserit, cùm ad illum; superstite causam prosequente, declaratum fuerit Beneficium pertinuisse. Aut si eorum alter in Curia, alter extra, neutro possidente (k) decesserit: erit enim tunc Romanus Pontifex propter Authoritatis prærogativam collatione præferendus. 2dò per obitum in Beneficiis Curialium (l) qui etiam Romana Sede vacante quavis de causa ad locum per duas dietas vicinum secedunt,

 ibiq;

(a) *Monet. ubi supra cap. 3. à n. 4.* (b) *text in c. fin §. in Præbendis ubi gl. & DD De Consvet. in 6to* (c) *DD. in c. unic. De Cleric. non resident in 6to Calderin. cons. 21 tit. de Præbend.* (d) *Rot. Decis 4. De Consvet. in nov. Franc. in d. c. fin §. in Præbend. n. 3.* (e) *DD ap Monet. loc. cit. n. 15.* (f) *text. in c. Licet De Præbend. in 6to.* (g) *Statutum & ibi gl. v. in Curia eod. & DD.* (h) *Franc. in d. c. Statutum n. 5. Rot. decis. 4. n. 1. De Præbend in nov.* (i) *text. in c. Præsenti De Præbend. in 6to.* (k) *Clemen. 1. & ibi gl. & DD. ut lite penden.* (l) *d. c. Præsenti. & Extravag. Ad regimen. v. Ac etiam simili modo De Præbend. & Dignit. inter comm.*

ibiq; moriuntur, dummodo in eo loco domicilium, seu domus propria non existat. *3tiò* per obitum (a) in Curia Curialis habentis ibidem originem, ibiq; morantis occasione Curiæ. Aut si non originem sed perpetuum domicilium, sive etiam domum Conductam in Curia habeat. *4tò* per obitum Curialium (b) decedentium in itinere, dum sequuntur recedentem Curiam, vel in loco, unde recessit Curia, quam propter infirmitatem sequi non potuerunt. *5tò* per obitum (c) Legatorum ac Nuntiorum Sedis Apostolicæ intra duas dietas à Curia distantes decedentiũ, aut etiam ubicunq; durante Legatione, necnon negotii prosecutione: quod extenditur quoq; ad Rectores & Thesaurarios in terris Romanæ Ecclesiæ. *6tò* per obitum S. R. E. Cardinalium (d) & quorumcunq; Officialium ubicunq; decedentium, licèt Officiales postea esse (e) desierint, cùm Beneficium affectum, semper duret (f) affectum, & extenditur id ipsum etiam (g) ad Prothonotarios. *7mò* per privationem seu dispositionem (h) tum resignationem factam in Curia, aut in quibus Beneficiis reservatus (i) est alicui regressus. *8vò* per assecutionem (k) secundi incompatibilis. *9nò* per translationem, Consecrationem seu benedictionem, electionem, postulationem, repulsionem & similia (l) facta, in Curia.

Corollarium 3tium. Neq; locum habet Optio in Beneficiis (m) quomodocunq; sive generaliter, sive specialiter reservatis prætermissa *Reservatione mentali*, per quam Papa reservabat aliquod Beneficium in Specie, vel in genere, ut Personæ ibi gratæ (nomine non expresso) provideret: hæc enim

(a) *d. c. Præsenti §. Sanè si quis, & ibi gl. V. Originis* (b) *d. c. Præsenti §. Porro & Reg. 5. Cancell.* (c) *Extravag. Ex debito §. Rursus hujus nostræ De Elect. & Reg. 5. Cancell.* (c) *Extravag. Ex debito §. Rursus hujus nostræ De Elect.*

(a) *d. c. Præsenti §. Sanè si quis, & ibi gl. V. Originis* (b) *d. c. Præsenti §. Porro & Reg. 5. Cancell.* (c) *Extravag. Ex debito §. Rursus hujus nostræ De Elect. int. comm. Et d. Extravag. Ad regimen. §. Ac etiam per Obitum.* (d) *d. Extravag. Ad regimen §. Ac etiam per Obitum.* (e) *Reg. 1. Cancell.* (f) *DD. De Rot decis. 11. 13. & seqq De Prabend. in Antiqu.* (g) *Mandoza ad d. Reg. 1. Cancell. q. 7. & 8.* (h) *dd. Extravag. Ex debito §. hujusmodi autem, & Extravag Ad regimen. § Necnon.* (i) *Archid. Ioan. Andr. & alii in c. 2. De Prabend. in 6to.* (k) *Monera ubi supra cap 3. à n. 38* (l) *dd. Extravag. Ex debito, & Ad regimen.* (m) *DD. ap Monet. loc. cit. n. 41.*

enim amplius non est in usu, quinimò simul cum quibuscunq; gratiis ad vacatura, & mandatis de providendo tum expectatis sublata per *Conc. Trid. Sess.* 24. *cap.* 19. *De Reform.* *Reservationem* autem *generalem* dicimus illam, quæ per Jus Commune introducta est. *Specialem* verò, quæ per Regulas Cancellariæ vel etiam (a) Extravagantes ultra Jus commune disponentes. Seu quòd *Generalis* sit de aliquo genere Beneficiorum ac Personarum, ùt si reservantur Dignitates cujusvis Ecclesiæ, vel omnia Beneficia Officialium Sedis Apostolicæ, aut certîs mensibûs vacantia. *Specialis* verò sit de certo Beneficio, aut ad favorem certæ personæ, minimé attento eo, quod per Jus Commune, vel per Extravagantem aut Regulas Cancellariæ, aut etiam per aliquod Decretum Pontificis ea (b) reservatio fiat. Quod tamen temperant aliqui Doctores, ut nempe Optio non habeat locum in Beneficiis reservatis, quando Specialis reservatio (c) fit motu proprio, non ad instantiam Partis: item quando Specialis reservatio fit de (d) Beneficio certo, non autem incerto. An verò reservatio Specialis afficiat eam Præbendam, quam quis tempore reservationis, vel tempore mortis habet. Distingvunt (e) Doctores, nempe, quòd si Papa reservet Specialiter Præbendam vg. Titii, qui postea dimissâ primâ, aliam optavit, ultima optata, quam tempore mortis habet, non autem prima reservata censetur, Secus verò si Papa reservâsset Præbendam Titii, cùm primum per cessum aut decessum aut alio modo vacaverit, tunc enim prima Præbenda cadit in reservationem, & reservatio capit vacationem per Optionem, quia per hanc dimittitur Præbenda & vacat. Intelligendi tamen sunt Doctores quando simpliciter (f) reservatur Præbenda Titii. Cæterum optare potest habens

 Præ-

(a) *Cassad. decis.* 3. *n* 7. *de reservat.* (b) *Rot. decis.* 28. *De Prabend. in Antiqu. Rebuff. in Prax. Benefic tit. De reservat. à n.* 1. (c) *Franc. in c. fin.* §. *in Prabend. De Consvet. in* 6to. *Cassador. decis* 4. *n.* 7. *De Concess. Prabend.* (d) *Franc. l. c. cit. vers. ult. & Rot. decis.* 5. *De Consvet. in nov.* (e) *Gonzal. ad Reg* 8 *Cancell. gl.* 34. *n.* 40. *& seqq. Cardin. Cons.* 126. *n.* 7. *Rebuff ad Reg.* 3. *Cancell. v. obtinet. Simonet. tract. de reservat. Benefic. q.* 35. *n.* 42. (f) *Gonzal. loc. cit. n.* 41.

Præbendam (a) reservatam. Quod intelligendum est, ut possit Præbenda generaliter reservata (b) optari ante obitum, non post.

Quemadmodum autem supra innuimus variîs modîs vacare Beneficia in Curia, ita etiam dicimus dari præcipuos modos præter alios, qui apud Doctores legi possunt, cùm hic tantùm occasionaliter nobis de illis innuendum venit, reservationis Beneficiorum: utpote per (c) vacationem in Curia, seu apud Sedem Apostolicam, de qua immediatô *Coroll. 2dò*, Cui addi potest reservatio illa, quæ fit per *appositionem manûs* (d) Summi Pontificis, quam alii *affectationem* vocant. Per promotionem (e) ad Episcopatum, & quando Beneficia vacant (f) de jure seu Stylo Curiæ Romanæ. *Aut quando Beneficia vacant* (g) Familiarium Papæ & Cardinalium. Item sub Reservationem (h) cadunt omnes Dignitates Pontificales, necnon majores post Pontificalem in Cathedralibus, ac principales in Collegiatis: tum Prioratus, Præposituræ, cæteræq; Dignitates Conventuales Ordinum quorumcunq; exceptîs militiarum. Item Beneficia vacantia in mensibus (i) reservatis: quales sunt *Januarius & Februarius, Aprilis & Majus, Julius & Augustus, October & November*: tum quoq; in mensibus alternativis, juxta Concordata quorundam Regnorum, & singulariter Regni (k) Poloniæ. Nihilotamen minus ut Episco-

(a) *Card. loc. cit. in fin. & Rot. in una Salamantina integra Portionis. 18. 8bris. 1584. cor. bo. mem. Vicecomite.* (b) *Monet. ubi supra cap. 3. n. 46. & DD.* [c] *text. in c. 2. De Prabend. in 6to & ibi DD.* [d] *Rot. decis. 1. de Prabend. in nov. text. & DD. in c. ut nostrum. De appellat. c. si eo tempore. De elect. in 6to, & Extravag. Ad Romani. De Prabend. int. comm.* [e] *d. Extravag. Ad regimen. c. Cum in cunctis §. Cum verò De elect.* [f] *Monet. loc. cit. cap. 3. n. 57.* [g] *d. Extravag. Ad Romani & Reg. 3. Cancell. & DD.* [h] *Reg. 2. & 3. Cancell. & ibi DD.* [i] *Reg. 9. Cancell.* [k] *Concordata Regni Poloniæ Pontificatu Leonis X. inita, & à Clemente VII. confirmata & ampliata. ubi §. 4. sic habetur* = Ad hoc ut Beneficia prædicta in dicto Regno consistentia, etiamsi Canonicatus & Præbendæ, Dignitates etiam Majores post Pontificales & principales Personatus, Administrationes vel Officia etiam Curata & Electiva, in Cathedralibus, etiam Metropolitanis vel Collegiatis Ecclesiis, & ex quavis causa etiam ratione familiaritatis &c. generaliter reservata fuerint in sex Mensibus, videlicet Februarii, Aprilis, Junii, Augusti, Octobris & Decembris, Ordinariis per Literas alternativas concessa, & conce-

ſcopus gaudeat alternativâ, requiritur ut verè ac perſonaliter apud Eccleſiam vel Diæceſim (a) reſideat etiamſi ſit abſens propter Eccleſiæ ſuæ utilitatem, aut cauſâ Reipublicæ, cùm in prædictis & ſimilibus caſibus fictis, non eſt locus alternativæ (b) ſed reſervationi: nam *Reg.* 8. *Cancell.* alternativam tribuit Epiſcopis, quamdiu apud Eccleſias aut Diæceſes ſuas verè ac perſonaliter reſederint duntaxat. Quare in prædictis caſibus fictæ reſidentiæ ceſſante alternativa, intrabit alia pars dictæ *Reg.* 8. *Cancell.* ut tunc habeat ſolùm Epiſcopus quatuor Menſes, nimirum: *Martium*, *Junium*, *Septembrem*, *ac Decembrem*. Si autem verè ac perſonaliter reſideat, intrat alternativa, & habebit, *Februarium*, *Aprilem*, *Junium*, *Auguſtum*, *Octobrem ac Decembrem*.

Excipe, ſi Epiſcopus reſideat in loco (c) exempto ſuæ Diæceſis. Aut ſi per impios ſteſt, quin (d) reſideat. Aut aliàs per vim & metum juſtum (e) detineatur. Aut aliàs abſit (f) juſſu Papæ, aliàs paratus reſidere: ſecus ſi ſponte quamvis ex juſta cauſa, & cum licentia Papæ, vel mandato ejus, qui jubere nequit etiam ex juſta cauſa & invitus, citra vim tamen ac juſtum metum. Aut deniq; propter (g) infirmitatem, tunc enim dicitur gaudere alternativâ. Non requiritur tamen integra reſidentia illius Menſis, in quo vacat Beneficium, ſed ſufficit (h) majoris partis ejuſdem. Quare cùm Optans ùt Actor fundat ſe in alternativa Epiſcopi, nimirum quia vacatio contigit in menſe Ordinario, tenetur probare non ſolùm acceptationem

[a] *Monet. loc. cit. cap.* 3. *n.* 79. [b] *Gonzal. loc. cit. gl.* 43. *n.* 12 *& ſequ. & n* 83. *cum ſeqq. Rot.* 26. *Martii* 1604. *cor. Iuſto.* [c] *Gonzal. loc. cit à n.* 187. [d] *Idem loc. cit. n.* 200. [e] *Monet. loc. cit. n* 100. [f] *Conc. Trid. Seſſ.* 23. *cap.* 1. *de Reform.* (g] *Monet. loc. cit. n.* 102. [h] *Gonzal ad Reg.* 8 *Cancell. gl.* 43. *à n.* 140.

concedenda pro tempore vacantia, ſub hujuſmodi Coadjutoriis regreſſibus & acceſſibus &c. minimè comprehendi, nec comprehenſa cenſeri, ſed ipſos Ordinarios Collatores de illis in eiſdem Februarii, Aprilis, Junii, Auguſti, Octobris & Decembris menſibus &c. libere providere, aliàs diſponere poſſe = *Et infra* §. *V. ibi* = ac quòd dicti ſex menſes Februarius, Aprilis, Junius, Auguſtus, October & December perpetuis futuris temporibus Ordinariis Collatoribus Regni hujuſmodi conceſſi, & reliqui ſex menſes dictæ Sedi, & pro tempore exiſtenti Romano Pontifici reſervati exiſtant, & eſſe cenſeantur =

nem (a) alternativæ ab Episcopo, verùm quoq; & personalem residentiam illius in sua Civitate vel Diæcesi sub tempus vacationis saltem quò ad mensem *Februarii*, *Aprilis*, *Augusti* & *Octobris*. Quod etiam dicendum est, cessante alternativa: quia & tunc optans tanquam Actor debet probare, quòd Episcopus residebat in mensibus *Februarii* & *Augusti* respectivè, vel saltem in aliquo ex dictis Mensibus *Martii* aut *Septembris*, in quo contigit vacatio. Id ipsum extenditur ad Mensem *Junii* & *Decembris*, sive locum (b) habeat alternativa, sive non. Quod si Episcopus, qui acceptavit alternativam fuerit absens à *Majo* ad finem *Septembris*, in quo vacavit Præbenda cum Canonicatu, optioni non datur locus.

Præterea Optio non habet (c) locum in Præbendis vacantibus in Curia, licèt per alium, quàm Pontificem, ex Ejus facultate conferantur. Quod extenditur ad habentes Indultum, ita; ut Episcopus habens Indultum Pontificium collationis Beneficiorū reservatorum, dummodo in Specie comprehendat vacantia in Curia, possit conferre Præbendam vacantem, ut nullo modo locus sit (d) Optioni seu Consvetudini ac Statuto optandi. Secus est in Beneficiis vacantibus in Mensibus reservatis, stante immemorabili (e) Consvetudine Optandi, quæ etiam vim Privilegii habet. Quia aliàs de Jure Communi possunt Episcopi quæcunq; Beneficia non reservata in Corpore Juris conferre: secus est in reservatis reservatione clausa in Corpore Juris. Cæterum tamen potest Optio habere locum in Beneficiis reservatis, cùm à Papa, vel habente Indultum illa Clericis permittitur: cùm enim ad favorem habentis Indultum inductum sit, ut Optionem impedire possit, utiq; favori suo facilè renuntiare poterit, maximè; quia Jus Pontificium servatur illæsum ex eo, quòd tunc

(a) *Rot. in una Placentina Capellania* 31. *Maji* 1604. *Cor. Pamphilio ap. Monet. loc. cit. cap.* 3. *n.* 95. [b] *Gonzal. ubi supra à n.* 122. *ad n.* 135. [c] *text in d. c. fin. De Consvet. in 6to ibi* = In Præbendis verò apud Sedem Apostolicam vacantibus, cùm de ipsis per Romanum Pontificem ordinatur, locus prædictæ Consvetudini non existit = *Et ibi gl. V. Ordinatur.* [d] *text. in c.* 2. *eod.* & *DD. in d. c. fin.* & *Monet. ubi supra à n.* 65. [e] *Idem ibid. à n.* 67. & *n.* 82.

tunc Clerici optent non Jure proprio, sed precario: ex ejusmodi verò actibus Consvetudo Optandi minimè (a) inducitur, & tunc Clerici dicuntur alioquin capaces Juris optandi Jure extraordinario.

Insuper potest habere locum Optio in Beneficiis (b) vacantibus in Curia, si intra Mensem per Papam non conferantur, valeantq; conferri per Ordinarium (c) Collatorem: quod tamen minimè procedit in devolutis ad Papam. Item potest fieri Optio de Beneficiis ac Præbendis vacantibus in quibuscunq; Mensibus, ubi Episcopus (d) simul est Cardinalis, modò aliàs reservata aut affecta non sint, neq; aliquod Canonicum impedimentum obstet. A fortiori stante Indulto concesso alicui conferendi Beneficia alicujus Ecclesiæ, etiam reservata vacantia extra Curiam, non obstante reservatione & aliîs clausulîs solitîs apponi in Indultis Cardinalium Episcoporum: nam tunc poterit in illa Ecclesia, in qua aliàs est Jus Optandi, fieri (e) Optio, non modò in Mensibus reservatis vi *Reg.* 8. *Cancellariæ* sed etiam de Beneficiis Cathedralium & Collegiatarum Ecclesiarum quovis alio modò reservatis, quàm per vacationem in Curia, aut aliis modîs exceptîs in Indultis. Quod colligitur ex Proëmio ipsorum Indultorum ibi = *per quæ, sublatîs impedimentîs quibuslibet possis de Beneficiis tuæ dispositioni Commissis salubriter providere* =

Etenim in Beneficiis resignatis in Curia Optio (f) locum non habet: secus si resignatio facta sit in partibus in manibus Legati non est enim eadem Curia Legati & Pontificis. Pariter non est locus (g) Optioni, quando vacant Beneficia, in quibus reservatus est regressus, cùm ea vacare dicantur in Curia. Nihilominus Beneficia reservata & vacantia in Curia ex Speciali Consvetudine super hoc indu-

[a] *tot tit Utriusq; Juris de Precar. & ibi DD.* (b) *gl. in d. c. fin. §. Ordinatur & in c. Præsenti in figuratione casus De Prabend. in 6to & DD.* (c) *d. c fin. & c. Statutam junct. gl. De Prabend in 6to & DD ap. Monet. loc. cit cap. 3 à n.* 71. (d) *Gonzal. ad Reg.* 8. *Cancell. gl.* 24. *n* 1. *& DD. quos allegat.* (e) *Idem loc. cit. à n.* 66. *& DD. ap. Monet. ubi supra à n.* 81. (f) *Mandos. ad Reg.* 34. *Cancell. q.* 50. *n.* 7. *Paris. tract. de Resign. Benefic. lib.* 1. *q.* 4. *n.* 55. (g) *Idem loc. cit. q.* 20. *n.* 11. *Archidiac. Ioan. Andr. in c.* 2. *De Prabend. in 6to.*

inducta optari (a) possunt: nam licèt Consvetudo sit contra Jus, potest tamen contra Jus induci Consvetudo, spatiô saltem 40. annorum, ùt diximus supra. Quodsi Beneficia ex negligentia inferiorum in non conferendo intra Sex Menses à die notitiæ vacationis devolvantur ad Papam, Optio locum (b) habebit, tunc enim Jure Ordinario confert Pontifex.

Nec obstat, quòd etiam Pontifex Beneficia vacantia in Curia conferat Jure (c) Ordinario, in quibus tamen non datur Optio, ùt diximus supra. Non obstare dicimus, quia ejusmodi Beneficia devoluta non confert Pontifex Jure Communi, sed quia in iis est locò Ordinarii Collatoris, & quasi in Ejus locum subrogatus illius personam repræsentat: quod non accidit in Beneficiis vacantibus in Curia, aut aliàs reservatis. *Tum* quia Beneficia per devolutionem (d) non vacant de novo. Hinc Beneficia degentium aut decedentium in Curia, qui Curiales non erant, neq; ibi occasione Curiæ morabantur, non sunt (e) reservata, ádeoq; in illis locum habere Optionem per contraria, quæ diximus supra. Nisi ea vacare contingat in Mensibus Apostolicis, tunc enim conferuntur per Pontificem tanquam reservata.

Corollarium 4tum. Quod attinet Beneficia Juris patronatus, in his Optio locum (f) habere nequit. *Tum* quia si reservatio, quæ fortior est Optione non comprehendit Beneficia (g) Juris patronatûs, maximè Laicorum, multò minus in iis locum habere poterit Optio. *Tum* quia per Optionem (h) acquiritur quodammodo novus titulus, nequit autem quis acquirere novum titulum, aut Beneficium (i) Jurispatronatûs sinè consensu Patroni. Hinc est, quòd decedente (k) consensu Patroni, poterit fieri Optio in Præ-

(a) *Chalder. Cons. 3. de Consvet. & DD. ap. Monet loc. cit. n. 105.* (b) *text. in c. Nulla & c. Quia diversitatem De Concess. Prabend. & DD.* (c) *c. 2. & c. Statutum De Prabend. in 6.* (d) *Gonzal. ubi supra gl. 15. §. 2. n. 21. & DD. quos citat.* (e) *c. Præsenti §. Sanè De Prabend. in 6to ubi gl. &* DD. (f) DD. *ap. Monet. ubi supra n. 112.* (g) *Rot. decis. 3. De Jurepatr. in antiqu. Puteus decis. 39. lib. 11. & alii* DD. (h) DD. *ap. Moner. loc. cit. cap. 7. n. 20.* (i) *tot. tit. De Jurepatr.* (k) *Monet. loc. cit. cap. 3. n. 121.*

Præbenda & Beneficio Juris-patronatus. *Item* Speciali præ-ſcriptione ſeu Conſvetudine induci poteſt, ut in ejuſmodi Beneficiis fiat Optio. *Tum* quia in reſervatis, (ùt diximus) conſvetudine Jus Optandi in-duci valet. *Tum* quia è con-tra Jus tertii præſcribi, con-ſvetudinemq; induci (a) poſſe ſaltem ſpatiô 40. annorum. Et quidem Juripatronatus Eccleſiaſtico vero, vel mixto ſpatiô 40. annorum, Juripa-tronatus autem Laicorum ſpa-tiô 30. annorum præſcribitur.

Et quod diximus de Be-neficiis Jurispatronatûs, idem ſentiendum de permutatione & reſignatione: quòd nimi-rum in Beneficiis & Præben-dis, quæ permutantur & re-ſignantur, Optio non habeat (b) locum. *Ratio 1ma* quia cùm actus agentium non operen-tur (c) ultra intentionem eorum, procul dubio non de-bet habere locum Optio, per quam Permutans non accipe-ret Præbendam, quam ille al-ter ideò reſignavit, ut ipſe haberet, nec aliter (d) eam reſignâſſet. *Ratio 2da* quia Præ-benda reſignata alteri confer-retur quàm Permutanti, cùm tamen *Clemen.* 1. *De rer. permut.* expreſſè requirat, quòd ipſa Præbenda, quæ reſignatur, al-teri quàm Permutantibus non conferatur. *Ratio 3tia* quia e-juſmodi reſignatio fieri debet in Curia, ubi vacare dicitur Beneficium, adeoq; talis va-catio impedit Optionem per dicta ſuperiùs.

Idem procedit in Præben-da Theologali, Pænitentiali, Doctorali, & alia ſimili onus habente annexum, quæ opta-ri (e) minimè poſſunt. Ete-nim conferendæ ſunt certis Perſonis (f) graduatis & qua-lificatis. Poſſunt tamen ejus-modi Præbendæ oneratæ (g) optari ab eo, qui habet qua-litates ad illud onus requiſi-tas, idq; ſaltem de conſenſu Papæ aut Epiſcopi, ad quem tunc ſpectaret collatio, ut ille cognoſcat, an prædictæ qualitates adſint in volente illam Præbendam optare? Sed

C ſtante

(a) *l. omnes & l. Sicut C. De Præſcript.* 30, *vel* 40. *ann. Lambertin. De Jure patr. par.* 2. *lib.* 3. *q.* 2. *art.* 6. (b) *cc.* DD. (c) *l. Non unde C. Si cert. petat.* (d) *text. in c. un. De rer. permut. in 6to. ibi* = quæ alias minimè reſignâſſent = (e) *Monet. loc. cit. cap.* 3. *n.* 128. (f) *Conc. Trid. Seſſ.* 5. *cap.* 1. *Seſſ.* 22. *cap.* 4. *Seſſ.* 23. *cap.* 18. *Seſs.* 24. *cap.* 8. & 12. & *Seſſ.* 25. *cap.* 5. De *Reform. text. in c. fin.* De *translat. Epiſc.* & *c. 1s, cui.* De *Præbend. in 6to,* (g) *cc.* DD.

ſtante paritate Præbendarum, quòd videlicet ambæ ſint æquales, an in optando junior Canonicus primò optans excludatur ab antiquiore poſtmodum eandem Præbendam optare volente? Et concludunt DD. (a) quòd non: cùm etiam in tali caſu & legatum (b) Optionis non valeat. Multò minus ſi junior ſtatim ſequens ſit diligentior proximo antiquiore: nam diligentiores in exigendo (c) præferuntur, ſi id faciunt ſine damno magìs Privilegiatorum, ùt in caſu, ubi Præbendæ ſunt æquales.

Neque in illis Eccleſiis, in quibus certus eſt numerus Canonicatuum, non tamen diſtinctio Præbendarum, poteſt regulariter introduci (d) Conſvetudo optandi: quia ubi non datur Majoritas Præbendarum, Optio intrare nequit quò ad ipſas Præbendas, ſecus quò ad ſedem, locum, & ſimilia. Quod etiam militat, ubi Præbendæ (e) ſunt diſtinctæ, ratione incertitudinis, cùm non ſit certum aliquid, quod optari poſſit. Cæterum Præbendæ æquales inter ſe, & cùm Præbendis optare volentium poſſunt (f) optari. Quemadmodum & de minori Præbenda (g) indiſtinctè fieri poteſt Optio, quando ex aliqua cauſa magìs eſt grata, aut v. g. ob intereſſe veritatis, ùt quia major gravata eſt penſione: aut ob intereſſe affectionis, ùt quia minoris Præbendæ bona ſunt viciniora ſuis Patrimonialibus: aut quia minor Præbenda fuit ſui Patrui, aut valde amici, vel ſimili de cauſa. Quia illud eſt melius, quod eſt magìs (h) gratum, & placet. Nec obſtat *l. majoribus honoribus. C. Quemadmodum civ. mun. indic.* quia ſolùm prohibetur, ne quis ab alio & quaſi invitus deſcendere in honore cogatur, quod non contingit, quando quis ſponte eligit minorem Præbendam. Nam aliud eſt gradus (i) in Præbenda, aliud valor: & ſic Optando quis minorem Præbendam in valo-

(a) DD. *ap Monet. loc. cit. à n.* 132. (b) *text. in l. Cùm aurum § Sed ſi Argenti junct. gl. V. Optio. & ibi Bartol. ff* De *Auro & Argento legat.* (c) *l. Pupillus ff. Qua in fraudem Credit.* & DD. *in c. Dilecto* De *V. S.* & *Gomes Reg. de trienn. poſſ. q.* 28. *§. Hactenus* (d) *Gonzal. ubi ſupra gl.* 34. *n.* 128. (e) *Rot. deciſ.* 6. *n.* 1. *de Conſvet. in nov.* (f) *Monet. ubi ſupra cap.* 3. *n.* 134. (g) *gl. in c. fin. de Conſvet. in* 6to. *V. Meliores* & DD. (h) *§. Præterea Inſtit. de Actionib.* & *l. Sabinus ff.* De *in diem addict.* (i) *Rot. deciſ.* 5. *de Conſvet. in nov.*

valore, non descendit in honore, sicut nec ascendit, qui optat majorem.

Corollarium 5tum. Præbendas de novo erectas, Domosq; Canonicales nunc primum constructas, tanquam impropriè (a) vacantes ex simplici Consvetudine vel Statuto Optandi vigente in Ecclesia Cathedrali vel Collegiata, statim optari (b) non posse, sed expectandum esse primam veram vacationem *per obitum*, aut aliam, quæ Optioni locum faciat. Interim verò ejusmodi Præbendas, & Domos iis fore assignandas, qui nullas habent, servatâ tamen inter eos antiquitatis prærogativâ propter Canonicam æquitatem. Quare præferendus erit Canonicus medio tempore receptus ei, qui cùm priùs Canonicatum haberet, postea hoc dimisso, alium in eadem Ecclesia obtinuit; quia ille mutavit non solùm Præbendam, sed etiam Canonicatum, adeoq; novus Canonicus est, & dicitur = *noviter receptus* = & debet subire ea omnia quæ nuper recepti facere consveverunt, per consequens in Optione huic medio tempore recepto (c) postponendus est.

Diximus = *ex simplici Consvetudine*: etenim posse specialem Consvetudinem induci, ut Præbenda & Domus in prima fundatione & constructione optetur, idq; Optio Domorum Canonicalium, quamvis dici possit jure (d) odiosa, cùm agatur de aliquali saltem præjudicio tertii: paratur enim præjudicium vel Ordinario Collatori, vel ei, cui alioqui conferri seu assignari deberet Domus Canonicalis, nisi ab ea antiquiore aliquo Canonico vigore Statuti aut Consvetudinis optaretur, ùt si in Mense Ordinarii vacaret Canonicatus, & simul Domus Canonicalis, ex minore Consvetudine, quàm quadragenaria introducitur, (ùt supra diximus,) immo & (e) decennali, ex ratione, quam allegavimus supra, quòd Domus nihil habeat Spiritualitatis, sicut habent Præbendæ distinctæ. Neq; ejusmodi Optio fit contra Jus, cùm ædes per se

 non

(a) *Clemen. fin. De Rescript.* (b) DD. *ap. Monet. loc. cit. à n.* 151. (c) *text. in c. fin. de Consvet. in 6to. & in c. Ex transmissa De renuntiat. &* DD. *ap. Monet. loc. cit. cap.* 5. *n.* 12. (d) *Monet. loc. cit. cap.* 3. *n.* 156. (e) *Idem ibid. à n.* 9.

non conferantur. Nam Domus Canonicalis, quamvis non ſit Præbenda, tamen vel eſt annexa Præbendæ, ùt aliquibus in locis: vel eſt acceſſoria ad Præbendam, & ſequi debet naturam illius, quare optatâ Præbendâ, cenſetur etiam optata (a) Domus. Quando itaq; nequit optari ipſa Præbenda, neq; etiam Domus, ſed tranſire debet ad eum, ad quem per Collationem tranſit Dignitas, Canonicatus aut Portio: nam connexorum (b) idem eſt judicium. Sicut quando Præbenda eſt reſervata, & per Papam confertur, cenſetur etiam collata Domus, & Optio locum non habet. Cæterum ſi Domus non eſt perpetuò annexa Dignitati, Canonicatui aut Portioni, ſed defunctus illam poſſidebat jure Optionis ad ſolam ſuam vitam, poterit (c) optari: quia quò ad iſtam Domum temporalem non intrat reſervatio Regulæ per vacationem in menſe Apoſtolico: nam licèt vacet Beneficium, Domus tamen hæc non vacat, cùm Beneficio vacanti non ſit annexa, ſed ad ſequentem in gradu Jure Optionis ſpectat.

CONCLUSIO III.

Jus Optandi habet locum in omnibus rebus & Perſonis Eccleſiaſticis.

Corollarium 1mum. Crambem non repetimus, poſtquam immediatè diximus Beneficia & Præbendas quaſdam poſſe, quaſdam non poſſe optari. Hìc tantùm ſuperaddemus quædam de rebus, in quibus adhuc Jus optandi locum habeat. Quò verò ad Perſonas Eccleſiaſticas, inſiſtendo *Concluſioni 2dæ*, dicimus ſolos Canonicos ſeu Beneficiatos in aliqua Eccleſia Cathedrali ſive Collegiata regulariter optare poſſe. Dicimus = regulariter = nam ùt *dictum ſupra*, poteſt induci Conſvetudo, ut Beneficiatus in aliqua Eccleſia, dummodo aliqua ratione conſtituat unum Corpus cum Canonicis, eveniente caſu poſſit optare (p) Canonicatum,

(a) *Idem ibid. n.* 8. & *n.* 47. (b) *c. Translato De Conſtit. c.* 3. *de Iudic.* (c) *Gonzal. loc. cit. gl.* 34. *n.* 35. & *ſequ.* (d) *Monet. loc. cit. cap.* 4. *q.* 1. *n.* 1.

catum, seu Præbendam Canonicalem vacantem, vel eam, quæ remanet inoptata. Hæc autem Consvetudo Optandi inducta, non ita extenditur, quatenus Prælati, aut in Dignitate constituti possint optare (a) Canonicales Præbendas. *Tum* quòd Consvetudo non extendatur de Persona (b) ad Personam, maximè ubi sunt diversæ qualitatis & conditionis. *Tum* quòd in ejusmodi, quæ sunt stricti Juris, uno expresso, non venit (c) aliud. *Tum* quia ubi sunt distincti gradus Præbendarum, non admittitur (d) descensus. Eadem ratione dicendum est de Præbendis inferioribus ordine, ut videlicet Consvetudo optandi in eodem ordine non operetur, quatenus Clericus optare possit Præbendam inferioris Ordinis vacantem, vg. Clericus habens Præbendam Presbyteralem, possit optare Diaconalem, habens Diaconalem possit optare Subdiaconalem: nisi forte ea in re Specialis Consvetudo sit legitimè (e) inducta.

Et hoc Jus optandi regulariter priùs spectat (f) ad antiquiores Canonicos, tum ad juniores. Proceditq; ut hujusmodi antiquiores vigore Statuti aut Consvetudinis de Optando, non semel duntaxat, seu pro una vice, ast quoties casus evenerit, modò aliud non obstet, optare possint: nam hic actus suâ naturâ repetibilis (g) seu iterabilis est. Antiquiores verò *ut dictum supra*, non ætate, sed receptione (h) intelligimus. In Optione enim regulariter consideranda est sola antiquitas temporis, non autem prærogativa (i) personæ, licèt sit Cardinalis. Quamvis affirment DD. Consvetudine induci posse, ut in Optione præferantur (k) antiquiores ætate, vel majores ordine. Sic si detur Optio Doctoribus,

(a) *Gonzal. loc. cit. n.* 91. (b) *DD. in c. fin. De Offic. Archidiac.* [c) *c. Susceptum. De Rescript. in 6to. c. Quamvis. De Præbend. eod.* (d) *Rot. decis.* 5. *de Consvet. in nov.* (e) *Monet. loc. cit. n.* 3. (f) *text. in c. fin. & ibi gl. v. Antiquiores. De Consvet. in 6to.* (g) *Monet. loc. cit. n.* 15. (h) *d. gl. v. Antiquiores & cc. DD.* (i) *Gonzal. ubi supra n.* 50. & 100. *text. in d. c. fin. & Rot. in una Massaven. Prioratus.* 1. *Julii* 1596. & 9. *Junii* 1597. *cor. Litta.* (k) *d. gl. v. Antiquiores & Monet. loc. cit. n.* 18. *cum DD. quos allegat.*

bus, quorum (a) ordo est præcipuus: aut Filiis Principum, aliisq; insignibus (b) Personis: & quò ad Provisionem à Papa vel Legato (c) obtentam. Quæ qualitates Ordinis, Dignitatis, ætatis & similes, etiam seclusa quavis speciali Consvetudine, omnino sunt attendendæ, ubi contingat duos simul, eodemq; actu in Canonicos vel Beneficiatos Ecclesiæ Cathedralis aut Collegiatæ cooptari, ad ejusq; Beneficii possessionem admitti: nam tunc considerari nequit in Optando antiquitas, seu prioritas temporis in receptione: cùm ejusmodi qualitates attendantur quoq; quò ad tribuendum priorem seu digniorem locum.

Cæterum si Canonicus antiquior differt optare intra legitimum tempus, ex quo possit sequi damnum juniorum, poterit junior sequens optare Præbendam, quam ille optare debebat, & tenebit Optio junioris, in eventum, quo antiquior intra Statutum tempus (d) non optaverat. Neq; refert, habeatne aliquid antiquior optare volens, quod dimittat? etenim satis est, quòd quoquo modo (e) cadat electio.

Et in Optionibus eum non censemus antiquiorem, adeoq; præferendum, qui cùm priùs esset Canonicus, postea mutavit Præbendam & Canonicatum per impetrationem & Collationem: ast præferri dicimus eum, qui post primam illius receptionem, ante tamen secundam, receptus fuit in Canonicum. Siquidem ille mutavit non solùm Præbendam, sed etiam Canonicatum, adeoq; novus Canonicus est, & dicitur = *noviter receptus*, ùt *dictum supra*: cùm non tanquam Canonicus, ût in Optione contingit, sed tanquam extraneus assecutus sit eandem Præbendam, ideoq; denuò illi capiendam esse possessionem, admittiq; ad osculum, recipi in Fratrem, novissimum ac postremum locum in eodem Ordine tenere, nisi in eodem à sociis ejusdem Ordinis manere permittatur; cùm

(a) *c. Cùm ex injuncto. De Haret. c. Super. De Magistr. c. De Multa. De Prabend.* (b) *d. c. De multa. Clement. Præsenti. De Baptism. Extravag. Execrabilis De Prabend.* (c) *text. in c. Si à Sede eod. in 6to.* (d) *gl. penult. in d. c. fin. Gonzal. ubi supra n. 76.* (e) *Monet. loc. cit. cap. 5. à n. 6.*

cùm quisq; Juri suo renuntiare possit, & similia esse facienda, adeoq; censeri debet posteriùs admissus ac receptus, per consequens (a) in Optione huic medio tempore recepto postponendus est. Canonicus enim, qui juravit in sua prima institutione, postea renuntians Beneficio, si iterum receptus fuerit in Canonicum, debet denuò jurare, tanquam novus Canonicus, nunquam receptus: quia per illam renuntiationem fuit solutus eo juramento antiquo.

Corollarium 2dum. In aliquibus Ecclesiis Cathedralibus sive Collegiatis ex Statuto vel Consvetudine dari tres Ordines Præbendarum, seu potiùs Canonicorum, ita; ut alii sint *inferiores* dicti *Scholares*, quòd sint sub cura & regimine Scholastici: alii sint *medii*, dicti *emancipati*: alii autem *Majores*, quibus solis competit vox in Capitulo, & dicuntur *Capitulares*. Horum omnium Præbendæ sunt æquales, & non aliter quis ascendit ad majorem gradum, nisi per Ordinem primò fuerit in inferiori, & de illo ascenderit ad medium, & hic ascensus fit secundùm Ordinem (b) receptionis. In aliis autem Ecclesiis quædam sunt Præbendæ *Majores*, quæ solis Presbyteris dantur: quædam *mediæ*, quæ solis Diaconis & Subdiaconis: quædam *minores* quæ assignantur inferioribus. In aliis demum quædam sunt Præbendæ, quæ solùm Diaconis, quædam, quæ solis Subdiaconis assignantur, qui tamen omnes sunt Canonici. Et præterea quædam sunt (c) Dignitates, ùt Archi-Presbyteratus, Primiceriatus, Præpositura & Decanatus.

De Jure novo debet saltem in Ecclesiis Cathedralibus cuiq; Canonicatui seu Præbendæ esse annexus Ordo Presbyterii, Diaconatûs, & Subdiaconatûs, ut, dimidia saltem pars, Presbyteri sint, cæteri verò Diaconi aut Subdiaconi. Nisi alicubi laudabilior esset Consvetudo, quatenus plures, vel omnes sint Presbyteri juxta dispositionem (d) Sacri Concilii Tridentini. Itaq; in illis Cathe-

(a) *text. & ibi DD. in d. c. fin.* (b) *Monet. loc. cit. cap. 5. q. 2. à n. 16.* (c) *c. 1. & Clemen. ut hi. De ætate & qualit. Conc. Trid. Sess. 22. cap. 4. & Sess. 24. cap. 12. De Reform.* (d) *Conc. Trid. d. Sess. 24. cap. 12.*

thedralibus, in quibus ex Decreto Tridentini distincti sunt Ordines Præbendarum & Canonicatuum, non potest *regulariter* locum habere (a) Optio, nisi specialis de hoc Consvetudo, legitimè præscripta, rationabiliter inducatur. Nam ex dispositione Concilii, illi Ordines non tam Præbendis annexi sunt, quàm Canonicatibus. Cùm ergo per Optionem mutetur quidem Præbenda, sed non Canonicatus, ùt *infra dicemus*, antiquior Diaconus vel Subdiaconus optando ultimam Diaconalem vel Presbyteralem Præbendam, aut simul Canonicatum, mutabit contra Optionis rationem, aut cùm idem Canonicus sit, ordinem & onus alteri Canonicatui annexum suscipiet contra designationem à Concilio requisitam.

Eapropter Optio gradatim (b) fieri debet, ut, si non optat primus seu antiquior, optet secundus seu sequens, aliàs optet tertius, & sic deinceps: cùm Juris Optandi natura sit, successivè unus Præbendatus seu Beneficiatus post alium, prout quisq; antiquior est, gradatim ascendat, quod extenditur (c) ad Dignitates & Canonicos. Fit autem (d) Optio gradatim, quando antiquiore Optante vacantem cum Canonicatu Præbendam sequens optat Præbendam, quam antiquior dimittit, & ab hoc dimissam optat alter, qui mox sequitur, & sic de cæteris. Estque hæc naturalis (e) gradatio in Optione, per quam junior optat Præbendam ab antiquiore Optante dimissam; non autem ita perpetuum ac naturale, ut aliquando ab Optione separari nequeat. Nam quòd Optioni conveniat ejusmodi gradatio, id non sit necessariò, cùm aliquando non consistatur circa ultimum gradum, aliquando etiam omisso aliquo gradu ad alios deveniatur.

Et obtinentes Præbendam Theologalem, Pænitentialem, Legalem, sive Doctoralem, seu Magistralem, & similes optare possunt, licèt *regulariter*, ùt *dictum supra*, eorum Præbenda nequeat optari.

Qui-

(a) *Monet. loc. cit. n. 27.* (b) *d. c. fin. & ibi gl. v. Gradatim. & DD. de Consuet. in 6to.* (c) *Gonzal. ubi supra d. gl 34. Sæpe.* (d) *text. in d. c. fin. & ibi gl. v. Non fuerit.* (e) *Gonzal. d. gl. 34. n. 98.*

Quinimò ad duo Capita, in quibus cessat, ejusmodi gradationem reducimus: noluntatis & impotentiæ. *Noluntatis*, quando is, qui aliàs optare potest, nolit optare: sive quia ea Præbenda, quam posset optare, minor sit eâ, quam obtinet, sive quia sit eidem omnino æqualis; sive quia licèt major & pinguior sit suâ, minùs tamen sibi grata est: sive tandem quia nulla alia de causa nolit quis optare etiam omnino meliorem & magis gratam Præbendam, nisi ad exercendam sui arbitrii (a) voluntatem. Et quidem prædicta gradatio (b) præciditur, si qui optare nolunt, sint ex ultimis eorum, qui possunt optare: interrumpitur verò, si sint ex mediis.

Impotentiæ casus sunt varii. 1*mus*. Quando aliquis optat, quia est antiquior, & tamen non habet aliquid, quod dimittat: quem tamen optare posse, *diximus supra*. 2*dus*. Si Optans habeat quidem, quod dimittat, sed vel à nullo id possit optari, ùt quia Præbenda illa est reservata: vel certè non à quolibet optari queat, ùt in Præbendis qualificatis, Theologali nempe, Pænitentiali, Doctorali seu Magistrali & similibus. Paria namq; sunt, non habere optantem quod dimittat: vel illud ab alio optari non posse. Sicque hoc utroq; casu vel interrumpetur, vel terminabitur, antequam ad ultimum deveniatur, prædicta gradatio. 3*tius*. Si postquam aliquis, vel aliqui jam optârunt, alius in ordine sequatur, qui absit ab Ecclesia voluntariè, aut sinè aliqua ex causis privilegiatis, ut absens ad Optionem admittatur, de quo *infra dicemus*. 4*tus*. Si post antiquiorem Optantem, vel etiam omnes Canonicos, vel Portionarios, vel Dignitates possidentes suam Præbendam, Portionem vel Dignitatem aliquis sit, qui suam nondum possideat: nam possessio requiritur ad Optionem, cùm hæc, sicut & quælibet præeminentia sit fructus (c) quidam possessionis Beneficii, & possessio (d) antiquior attendatur in Optione. 5*tus*. Si ex speciali Con-

 sue-

(a) *text. in d. c. fin. §. si voluerint.* (b) *Monet. loc. cit. cap. 5. q. 1. n. 15.* (c) *Gonzal. d. reg. 8. §. 3. proœm. n. 26.* (d) *Idem ibid. n. 23. & d. gl. 34. n. 48. & sequ.*

ſuetudine optari debeat titulus Canonicalis, vel Portio, aut Dignitas, non autem ſola Præbenda, & aliquis poſt antiquiorem optantem ſit inhabilis ad ejuſmodi Beneficium obtinendum, proculdubio vel interrumpetur dicta gradatio, ſi medii ſint inhabiles: vel deſinet, ſi iidem ultimi ſint.

Corollarium 3tium. Ampliando Concluſionem noſtram, dicimus Jus optandi habere locum etiam in Excommunicato. *Tum*, quia Optio non eſt (a) collatio, & excommunicatus ſolùm prohibetur, ne ei conferri poſſit (b) Beneficium. *Tum*, quia excommunicatus (c) æquiparatur deportato, qui poteſt (d) eligere & optare: igitur poterit & excommunicatus. *Tum*, quia excommunicatus poteſt ea, quæ ſunt (e) facti, & per quæ voluntas declaratur: per Optionem verò ſolùm declaratur voluntas, & ſine collatione nova ad ſummum acquiritur Jus ad Præbendam, non autem ad Beneficium. Ergo &c. *Limitandum* tamen eſt, ut non procedat, ubi ex ſpeciali Statuto vel Conſuetudine (f) optandus ſit Canonicatus, vel alius titulus, aut Portio, vel Præbenda annexum habens Ordinem Sacrum, aut ubi requiratur in Optione nova Collatio.

Id ipſum procedit in ſuſpenſo ab Ordine: cùm enim Optio non requirat neceſſariò Ordinem præſertim Sacrum, adeoq; non ſit actus Ordinis, ſequitur ſuſpenſionem efficere non poſſe, quatenus quis ab Optione repellatur. Secus eſt, ſi crimen induceret privationem Beneficii, vel depoſitionem aut ſuſpenſionem ab eodem, aut ſi per Judicem privatus, ſuſpenſus, vel depoſitus fuerit: cùm enim Optio pendeat à Beneficio, ut *dictum ſupra*, qui eo privatur, ab eo ſuſpenditur, vel deponitur, non poterit quoq; optare: nam ſublato antecedente, tollitur & conſequens. Quod tamen *limitamus*, niſi à Sententia declaratoria vel condemnatoria legitimè appellatum fuerit; appellatio namq;

(a) *Archidiac. in d. c. fin. De Conſuet. in 6to.* (b) *DD. ap. Monet. loc. cit. cap. 4. q. 2. à n. 24.* (c) *DD. in l. Eis qui ff. De teſtam.* (d) *l. Ex facto. §. Si quis rogatus. ff. Ad S. C. Trebell.* (e) *c. Pro illorum. De Præbend. c. Decernimus. De Sent. Excomm. in 6to.* (f) *Gonzal. ubi ſupra d. gl. 34. n. 72.*

namq; suspendit (a) judicatum quò ad futurum, & quò ad præsens illud extinguit.

Pariter irregularitas præcedens receptionem Ordinis aut Beneficii impedit (b) Optionem, nisi sit dispensatus super irregularitate ad effectum obtinendi Beneficium; nam eo ipso censetur dispensatus ad optandum in ea Ecclesia, in qua viget Consuetudo vel Statutum optandi. Verùm irregularitas sequens ipsam receptionem Beneficii non impedit Clericum, quin veniente casu optare possit in Ecclesia habente Jus Optandi. *Tum* per paritatem defectus Corporis supervenientis postea, ùt dictum. *Tum* quia irregularitas impedit tantùm receptionem Ordinum, aut aliquem usum eorum; Optio verò neq; est usus Ordinis, neq; est cum Ordine per se & necessariò conjuncta, ùt *dictum supra*. Nisi ex speciali Statuto vel Consuetudine optandus sit Canonicatus, vel alius titulus, aut necessariò suscipiendus sit aliquis Ordo Sacer, antequam optetur Præbenda, cui is annexus (c) sit.

Item. Jus Optandi locum habet in absentibus, quòd nimirum absentes in servitio (d) Papæ, aut (e) Episcopi, aut (f) Ecclesiæ, sive etiam causâ (g) studiorum optare possint intra viginti dies à tempore scientiæ, ùt *dicemus infra*: cùm hi omnes de Jure pro præsentibus habeantur. Et Jura loquuntur etiam ad effectum percipiendi fructus in absentia, quos inter veniunt Optiones, utì & tanquam fructus & emolumenta (h) possessionis Beneficii seu Officii, ùt *dictum supra*.

Item. Jus Optandi locum habet in Coadjutoribus & Coadjutis. Duo sunt genera Coadjutorum: alii sunt *simplices & ad tempus* propter favorem & utilitatem Ecclesiæ dati (i) ob ægritudinem animi vel corporis: & alii (k) *cum futura successione.* Itaq; obtinens

(a) *l. fin. ff. ad Turpil. c. Si à Judice. De Appell. in 6to.* (b) *Majolus de irregularit. lib. 2. cap.* 16. (c) *Gonzal. d. Reg.* 8. *Cancell. gl.* 34. *n.* 72. (d) *c. Cùm Dilectus. De Cleric. non resident.* (e) *c. De cætero. c. Ad audientiam. eod.* (f) *c. Ex parte il. 2. eod. c. un. eod. in 6to.* (g) *c. Tuæ Fraternitatis. eod. c fin. De Magistr. Conc. Trid. Sess* 5. *cap.* 1. *De Reform.* (h) *gl. in c. Cum olim* §. *Capitulo. De Majorit. & Obedien. Gonzal. d. Reg.* 8. §. 3. *proem. n.* 26. (i) *tot. tit. De Cleric. ægrot. in 6to. Gonzal. d. Reg.* 8. *Cancell. gl.* 5. §. 9. *à n.* 19. (k) *Idem ibi... à n.* 41.

nens Dignitatem, Canonicatum, aut Portionem, cui *Coadjutor simplex* datus est, optare potest, acsi ejusmodi Coadjutorem non haberet, cùm hic datur (a) principaliter ad favorem & utilitatem Ecclesiæ. Jam verò *Coadjutor simplex* Dignitatem, Canonicatum, aut Portionem in Cathedrali, vel Collegiata obtinentis optare nequit: quia tantùm solus titularis & beneficiatus (b) optare potest: *Coadjutor* autem *simplex* non est titularis aut beneficiatus, sed dictus tantùm à coadjuvando, sicut Tutor (c) à tuendo, & Curator à curando. Nam cùm Coadjutus ipse titularis ac beneficiatus sit, non potest simul esse ratione ejusdem Beneficii titularis & beneficiatus ejus Coadjutor: cùm ad eandem Præbendam duo eligi (d) non possunt. Et talis Coadjutoria non vacat sicut Beneficium per mortem civilem, vel naturalem obtinentis, sed cessat & extinguitur (e) cessante vita aut impedimentò Coadjuti.

Quod ipsum intelligendum est de obtinente Dignitatem, Canonicatum vel Portionem in Cathedrali aut Collegiata, quòd nempe optare possit, acsi non haberet *Coadjutorem cum futura successione*, cùm per concessionem istius Coadjutoris, sicut Coadjutor non fit titularis, aut beneficiatus, ita nec Coadjutus talis (f) desinit. Colligitur id ex *Litteris Coadjutoriæ*, ubi Beneficium dicitur esse penes Coadjutum, nec vacare, nisi per ejusdem (g) cessum vel decessum, aut aliam amissionem: soli verò & omnes titulares Beneficiorum, ubi Consuetudo aut Statutum Optionis viget, optare possunt, ùt *diximus supra*.

Nec obstat, quòd Præbenda illa sit reservata Coadjutori, cùm Coadjutus indistinctè optare (h) possit. Et Papa non modò in gratiis Beneficialibus, quæ ùt ambitiosæ sunt

(a) *c. Ex parte. c. fin. De Cleric. ægrot. c. un. eod. in 6to. Conc. Trid. Sess. 21. cap. 6. De Reform.* (b) *d. c. fin. & ibi DD. de Consuet. in 6to.* (c) *l. 1. ff. De tutel. Gonzal. ubi supra n. 38.* (d) *Can. Si quis Præbendas. 1. q. 3. c. Ut nostrum. Ut Eccles. benefic. sine diminut. confer. c. Dilecto. c. Tua Fraternitatis De Præbend.* (e) *c. Grandi in fin. & ibi gl. V. Vita ipsius, De suppl. neglig. in 6to.* (f) *Gonzal. loc. cit. d. §. 9. à n. 64. Monet. loc. cit. cap. 4. q. 8. à n. 15.* (g) *Mandos. ad Reg. 11. Cancell. n. 3.* (h) *Garz. tract. de Benefic. part. 4. cap. 5. à n. 120.*

ſæ ſunt (a) reſtringendæ, aſt & in ſuis Conſtitutionibus nunquam cenſetur derogare (b) Statutis & Conſuetudinibus rationabilibus locorum, niſi de iis inibi expreſsè caveatur.

Cæterum *Coadjutor cum futura ſucceſſione* optare non poteſt per rationes immediatè allegatas. *Nec obſtant imò.* verba illa in *Litteris Coadjutoriæ* expreſſa = *exnunc prout extunc, & è contra, ei conferas Canonicatum & Præbendam &c.* — *Tum*, quia hæ dictiones referuntur potiùs ad actum Executoris, id eſt, collationem & aſſignationem, ac Decretum, non autem ad ejus actûs (c) effectum. *Tum*, quia verba hæc, ut & cætera, exponi (d) debent, ne ſequatur abſurdum: abſurdum verò foret, ſi darentur (e) duo titulares ejuſdem Beneficii in ſolidum: cùm certiſſimi Juris ſit, duos Dominos aut Poſſeſſores in ſolidum ejuſdem rei eſſe non poſſe. *Nec obſtant 2do* verba illa *Coadjutoriæ*, quibûs Pontifex vult, quatenus Coadjutor tanquam Canonicus locò & vice Coadjuti Eccleſiæ inſervire, Stallum in Choro, locum & vocem in Capitulo habere poſſit ac debeat. Nam per hoc non intendit Pontifex eum eſſe verè Canonicum durante Coadjutoria, ſed *ſimilitudinariè* tantùm: dictio enim = *tanquam* = ſimilitudinem (f) aliquando non veritatem ſignificat.

Deinde colligitur ex iisdem *Litteris Coadjutoriæ*, quibûs mandatur Executori, ut Coadjutorem in corporalem poſſeſſionem Canonicatûs, & Præbendæ inducat, faciatq; eundem in Canonicum recipi & in Fratrem, Stallô ſibi in Chorô, & locô in Capitulo cum dicti Juris plenitudine aſſignatîs. Unde conſtat, eundem antea non fuiſſe verè Canonicum, cæterîſq; prædictîs Juribûs Canonicatûs ac Præbendæ caruiſſe, & præſertim poſſeſſione, quæ tamen (g) requiritur ſimul cum titulo, ut quis optare poſſit. *Nec obſtat 3tio*: quòd ad titulum *Coadjutoriæ*

(a) *c. Quamvis. De Prabend. in 6to.* (b) *c. 1. De Conſtit. eod.* (c) *Monet. loc. cit. n.* 166. (d) *Abb. in c. 2. n. 7. De Conſtit.* (e) *tot. tit. De Prabend. & de Conceſs. Prabendar. extra & in 6to.* (f) *text. in c. Dudum. De elect. ibi* = tanquam Præpoſito = *& in c. Cùm in Eccleſia. De Prabend. in 6to. ibi* = tanquam Canonicus, licèt Canonicus non exiſtat = *& Matth. 27.* = tanquam ad latronem exîſtis cum gladiis & fuſtibus comprehendere me = (g) *DD. in d. c. fin. De Conſuet. in 6.*

toriæ cum futura successione possit quis ordinari: nam alius est titulus *Ordinationis*, alius *Beneficialis*. Hinc licèt Patrimonium aut Pensio Ecclesiastica non sint Beneficium, ad eorum tamen titulum potest (a) quis ordinari.

Item, Jus Optandi habet locum in Clericis non constitutis in Sacris. *Regulariter* quidem (b) Clericus Ecclesiæ cujuslibet Cathedralis aut Collegiatæ, ad effectum ut habeat vocem in Capitulo, debet saltem esse constitutus in OrdineSubdiaconatûs. Et actus Clericorum quosdam (c) dici *Collegiales*, qui sinè toto Collegio, ejusve Majori parte expediri nequeunt, ùt est *regulariter* electio: quidam sunt *non Collegiales*, qui expediuntur ab illis Clericis tanquam à singulis seu privatis, ùt sunt passiva delegatio (d) causæ, ejusq; cognitio, agere (e) pro Præbenda, Episcopum associare, fructus (f) percipere,, Ecclesiam (g) defendere, habere (h) Stallum in Choro. Eapropter Clericus Ecclesiæ Cathedralis aut Collegiatæ licèt non sit constitutus in Sacris optare (i) potest; quia actus optandi non est *actus Collegialis*, cùm competat Clericis non ùt Collegium constituunt, sed ùt singulis. Hinc videmus, aliquos præferri aliis in optando. Insuper quia optare competit Clericis ex Canonia & Præbenda, non autem (k) ex voce Capituli: Optionem verò *regulariter* locum habere in Canonicatibus & Præbendis, *diximus supra*. Nihilominus potest Consuetudine (l) aut Statutô induci, ut Clericus non constitutus in Sacris, Præbendam, sive Domum optare non possit. Ast Clericum, qui per Summum Pontificem fuerit dispensatus, ut non teneatur ad Ordinem requisitum intra annum promoveri, adhuc post annum posse (m) optare.

Item, Jus Optandi non habet

(a) *c. Non licet. c. Episcopus. De Præbend. Conc. Trid. Sess. 21. cap. 2. De Reform.* (b) *Clemen. 2. De ætat. & qualit. Conc. Trid. Sess. 22. cap. 4. De Reform.* (c) *tot. tit. De elect. extr. & in 6to.* (d) *c. Statutum De Rescript. in 6to.* (e) *c. Ex litteris. De probat.* (f) *c. De cætero. c. ad audientiam. De Cleric. non resident.* (g) *c. Ex parte De Concess. Præbend. c. 2. De reb. Eccl. non alienan. in 6to.* (h) *c. Dilectus. De Præbend. gl. in d. Clemen. 2. §. in Capitulo.* (i) *d. gl. loc. cit.* (k) *Card. in d. Clemen. 2. n. 13.* (l) *d. gl. in cit. Clemen. 2. & Monet. loc. cit. cap. 4. q. 6. n. 81.* (m) *Idem ibid. n. 87.*

bet locum in cæco, muto, & surdo. Etenim qui est inhabilis ad Ordines, inhabilis quoq; est ad Beneficium: inhabilis verò ad Beneficium, multò magis repellendus est ab actu, qui non fit nisi à Præbendato & Beneficiato, cujusmodi est (a) Optio. Adeoq; cæcus, mutus, surdus, cùm repellantur (b) ab Ordinibus, ergo & à Beneficiis requirentibus Ordinem, consequenter & ab (c) Optione. Cæterum Clericus, qui cæcus factus est, postquam Beneficium in Cathedrali vel Collegiata obtinuit, non est excludendus ab Optione, quæ deinceps facienda occurrat, cui potiùs miserendum est, & de novo (d) subveniendum. Siquidem infirmitas & inhabilitas superveniens non debet aliquem privare (e) jure quæsito. Idem intelligendum est, de surdo, muto, & aliis corpore vitiatis.

Item. Jus Optandi non habet locum in corpore vitiato, dispensato etiam ad Ordines Majores, bene tamen in dispensato, ut obtineat Beneficium in Cathedrali vel Collegiata, ubi viget Consuetudo, extatve Statutum optandi. *Ratio 1mi.* Nam dispensatus ad Ordines non ideò dispensatus est ad Beneficium, nisi fortè ad unum simplex: Dignitas autem, Canonicatus, aut Portio in Cathedrali aut Collegiata nequit dici absolutè (f) Beneficium simplex, quoniam requirit personalem residentiam. Quod si ille dispensatus ejusmodi Beneficium obtinere non potest, neque ei competere poterit Jus optandi, quod à Canonia & Beneficio provenit. *Ratio 2di.* Quia Jus optandi ex Beneficio competit, eiq; annexum est: adeoq; qui Beneficium obtinere potest, poterit & optare.

Corollarium 4tum. Requisita ad Optionem sunt tam ex parte Capituli, quàm ipsius Optantis. *Ex parte Capituli* requiritur consensus, aliàs, ut qui optat, admittendus sit per Capitulum, vel eum, qui præest Capitulo, tempore quo ille

(a) *d. gl. loc. cit.* (b) *Majolus tract. de irregular. lib. 1. cap. 20. & cap. 25.* (c) *Monet. loc. cit. à n. 109.* (d) *c. Licet. De Censib.* (e) *Can. Præcepta. dist. 55. Can. Cùm percussio 7. q. 1. c. 1. 2. & penult. De Cleric. ægrot. & c. 1. eod. in 6to.* (f) *cc. DD.*

ille petit se admitti, vel per alium, prout est (a) consuetum. In optionibus namque Præbendarum, quæ fiunt per Canonicos Ecclesiarum Cathedralium, vel Collegiatarum, receptum habetur, quòd licita est constitutio (b) Procuratoris ad optandum Præbendas vacantes meliores & pinguiores. Et sufficit tacitus (c) consensus Capituli, approbantis saltem Consuetudinem optandi, prout nunc quotidie fit. Immo non esse probabiliter necessarium (d) consensum Capituli, sed sufficere, ut optantes notificent Capitulo Optionem, & consensum requirant, licèt non obtineant, eò quòd optent vigore Consuetudinis jam inductæ vim legis habentis.

Ex parte Optantis, requiritur apprehensio possessionis Præbendæ, vel Domus optatæ. Licèt enim per Optionem acquiratur Jus in Præbenda optata, sicut per solam collationem ante apprehensionem possessionis acquiritur (e) Jus in Beneficio: tamen tum propter fructuum (f) perceptionem, tum propter interdictum = *Unde vi* = tum propter Regularum annalis & triennalis Possessoris prærogativam, tum alios effectus, requiritur corporalis (g) possessionis apprehensio: quæ fieri potest propria (h) authoritate ab optante, ubi à nemine detineatur. Neque necesse est, apprehendi possessionem (i) ad cornu Altaris, seu in ipsa Ecclesia, cùm id proprium sit, quando acquiritur novum Beneficium. Hoc prænotato, quòd si quis legitimè optaverit Domum & Præbendam, apprehendenda sit corporalis possessio ipsarum rerum, utpote fundorum, qui sunt de Præbenda, vel ipsius Domus, non sufficiet acquirere possessionem unius fundi, sed omnium capienda erit: neque satis erit acquirere (k) pos-

(a) *Gonzal. d. Reg. 8. Cancell. gl. 34. n. 69.* (b) *Pitonius de Controvers. Patronor. tom. 1. alleg. 26. n. 12.* (c) *Monet. loc. cit. cap. 5. q. 3. n. 30.* (d) *Idem ibid. n. 31.* (e) *gl. in c. penult. v. Collatio. De Præbend. in 6to. text. in c. Si tibi absenti. eod. & c. ult. ubi DD. de Concess. Præbend. in 6to.* (f) *l. Ea bona fidei ff. De acquir. ver. dom. Rot. decis. 1. n. 1. de restit. Spoliat. in nov.* (g) *Covarruv. lib. 3. Variar. resolut. cap. 16. n. 6. & sequ.* (h) *Rebuff. in prax. benefic. tit. de Missione in possessionem n. 5.* (i) *Covarruv. lib. 3. Variar. resolut. cap. 16. n. 10. & sequ.* (k) *Idem ibid. n. fin. Gonzal. d. gl. 34. n. 109.*

possessionem vel Præbendæ, vel Domûs, nisi apprehensio fiat in capite & Ecclesia, in qua consistit, nam tunc dicitur capta (a) omnium, & bonorum spectantium ad Ecclesiam. Et cùm nullum à Jure vel DD. statuatur certum tempus apprehendendi possessionem in Optione, id remittetur arbitrio (b) Judicis. Quod si contingat præservari Optionem, dicetur præservata favore illius, cujus favore apparet præservata (c) antianitas.

Potest autem quis optare non tantùm per se, sed & per (d) Procuratorem habentem speciale mandatum, *ùt dictum suprà, & infra dicetur*. *Tum*, quia potest quis per alium id, quod potest facere (e) per se ipsum. *Tum*, quia possunt fieri (f) per Procuratorem ea, quæ specialiter non prohibentur. Quinimò etiam per non habentem speciale (g) mandatum, modò constitutus sit cum libera, æquiparatur namq; habenti speciale mandatum. Etiam per habentem generale mandatum, modò Principalis ratam (h) habeat Optionem. Et quamvis (*ùt dictum*) Coadjutor optare nequeat, nisi cessaverit Coadjutoria, & factus fuerit locus successioni in proprietate: bene tamen optare potest, si intendat optare tanquam (i) Procurator Coadjuti, ejusque vice ac nomine. Indubitati verò Juris est, conjunctam Personam (k) sinè mandato speciali admitti debere ad optandum. Conjunctæ autem (l) Personæ sunt, Parentes, liberi, fratres, affines, & liberti: cum hoc discrimine, quòd Ascendentes & Descendentes admittantur (m) usq; in infinitum, cæteri usq; ad quartum (n) gradum. Ultra autem quartum gradum arbi-

(a) *Covarruv. loc. cit. n.* 13. *Natta cons.* 562. *n.* 13. *lib.* 3. (b) *Menoch. de arbitr. Judic. lib.* 1. *q.* 14. *n.* 2. 5. & 6. (c) *Rota in Salamantina Canonicatus Lunæ* 25. *Junii* 1696. *cor. Muto. n.* 7. (d) *text. in d. c. fin. De Consuet. in* 6to. (e) *c. Potest quis. De R. J. in* 6to. *c. Qui facit eod.* (f) §. 2. *Instit. Per quas personas. l.* 1. §. *Casus autem ff. De Procurat.* (g) *text. in c. Qui ad agendum, eod. in* 6to. *Paulus in l. Procurator. ff. eod. ibi* = Procurator, cui generalis & libera administratio bonorum commissa est, poterit eligere, novare, aliud pro alio commutare = (h) *Archidiac. & alii in d. c. fin.* (i) *Rota in d. Salamantina Canonicatus. n:* 9. (k) *text. in c. Nonnulli* §. *Sunt & alii. & ibi Felin. n.* 45. *De Procurat.* (l) *l. Sed & hæ ff. eod.* (m) *gl. in d. l. Sed & hæ v. liberi.* (n) *Felin. loc. cit. n.* 60. *DD. in d. l. Sed & hæ.*

trium (a) est Judicis, qui dicantur conjuncti, & debere attendi consuetudinem Patriæ & Curiæ, in qua facienda est impetratio, præterea affectionem, nihilominus requiritur (b) ratihabitio. Quod non procedit in Persona conjuncta conjunctione spirituali: nam sinè mandato non potest pro alio impetrare, aut acceptare (c) Beneficium, adeoq; neq; optare.

Et ampliando Corollarium istud dicimus in *Cathedralibus & Collegiatis Ecclesiis Regni Nostri Poloniæ*, tam ex parte *Capituli* quàm *Optantis* singularia Statuta & Consuetudines circa Optionem dari & servari. Dantur enim in Diæcesibus Regni Nostri Poloniæ *Præstimonia*, sive Villæ, seu certi fundi & agri, seu quædam modica gubernia, quorum Dominium *directum* est circa Capitulum in corpore: *utile* autem circa Personas illa obtinentes, neque alicui reservationi subsunt. Ejusmodi *Præstimonia* ad nullius Collationem spectant, ast sola Capituli Authoritate Prælatis & Canonicis secundùm senium & merita per Optionem cedunt, veniuntque nomine lucri promeriti ex servitio diuturno circa Ecclesiam, non autem Beneficii: quare sæpissimè occurrente aliorum pinguiorum vacatione à Prælatis & Canonicis mutantur. Nullum annexum aliquod obsequium spirituale habent, ad quod explendum arctetur Possessor, sed in sola temporalitate consistunt, ùt etiam *dictum suprà*.

Occurrente eorum vacatione, sola prærogativa Senii ad illa consequenda non sufficit: verùm Optantes ea, debent habere plurima alia requisita, ne ab Optione repellantur: conferuntur enim in forma Contractûs, cum appositione conditionum ad benegerendum. Eapropter certîs temporibûs deputantur certæ Personæ è gremio Capitularium ad revidenda dicta Præstimonia, an in iis adimpleantur conditiones à Regentibus, resque œconomica bene administretur. Aliàs in casu non satisfactionis conditionibus per

(a) *Menoch. de arbitr. Judic. lib. 2. cent. 2. casu* 146. *n.* 5. *& sequ.* (b) *Hostien. & abb. in c. Ex parte. De Rescript. Felin. loc. cit. n.* 53. (c) *Idem ibid. n.* 55. *Speculat. tit. De Rescripti præsentat. §. Ratione autem impetrantis vers. Sed numquid.*

per Regentem, quas ultrò in ſe aſſumpſit ex conventione, ac malæ adminiſtrationis, expirato Contractu Capitulum redit ad ſua Jura, privando Regentem ejuſmodi *Præſtimoniò*, aut ſequeſtrando illud ad tempus.

Pari ratione veniunt etiam Domus, ſeu Reſidentiæ, ſeu Curiæ Canonicales, quæ ſimili conventione, appoſitîs quibûſdam conditionibûs Prælatis & Canonicis conferuntur à Capitulo. Quod ſi conditionibus non fit ſatis per Poſſeſſores, privantur iiſdem domibûs, aut ad tempus ſequeſtrum patiuntur. Qui Canonici Poſſeſſores, alio Nomine *Regentes* appellati ab authoritate Capituli pendent in omnibus, quæ ex Præſtimoniorum adeptione, poſſeſſioneque ad decidendum veniunt.

Contra verò malè Adminiſtrantes proceditur ſummariſſimè, ideſt, ſinè ſtrepitu & figura Judicii, etiam ſinè Citatione, ſi ad Cathedralem ſint præſentes. Quinimò etiamſi procedatur ad privationem, ſolæ Monitiones in Capitulis, aut per Delegatos expeditæ ſufficiunt, abſentes autem per Edicta Capitularia vocantur, Perpriùs tamen delegantur Capitulares Perſonæ ad reviſiones dictorum Præſtimoniorum, quarum relationi, cùm ſint de gremio Capituli, & aliàs juratæ, ſemper ſtatur, omniſque fides habetur.

Juxta Statuta *Peraugusti Capituli Cathedralis Cracovienſis*, obtinens Domum vacantem debet ad Maſſam Capitularem certam quotam pecuniæ inferre: quod ſi in inſtanti non ſolverit, declaratur inhabilis Optionis Domûs, ſive Villæ. *Item* debet habere Inventarium per Notarium Capituli ſive Domûs, ſive Villæ conſcriptum. *Item* Regentes prohibentur arendare extraneis Villas Præſtimoniales ſub privatione earumdem, & inhabilitate Optionis ad alias per decennium, niſi conſenſus Capituli acceſſerit &c.

Et quotieſcunque occurrerit Optio Villæ aut Domûs, debet Citatio generalis per Procuratorem Capitularem ſubſcribenda, & in Stallis affigenda, cum termino 30. dierum (excluſa die obitûs) præmitti, quo termino elapſo

in die Capitulari Villa seu Domus optatur. Nisi vacatio tempore generalis Capituli occurrat, aut intra Mensem Citationis editæ Capitulum generale incidat, nam tunc non erit expectanda incidentia 30. dierum termini.

Nemini autem licet simul Domum & Villam optare. Absens verò potest optare per Mandatarium, ùt etiam *dictum supra*, ast coram Actis Capitularibus & non alibi constitutum. Cæterum soli tantùm Prælati & Canonici actu Presbyteri, iique ad Majus Altare cantantes, ac Vicarios foventes juxta Senium sunt capaces Optionis Domûs & Villæ.

Eo nihilominus adjecto: quòd si potiorem Villam aût Domum Optans, aliam habuit, possessa per priùs seriò inspiciatur, si illius Inventarium circa apprehensionem per Notarium conscriptum habeat, si conditionibus circa distributiones & in revisione triennali impositis satisfecit, si Inventarium, subditos in bono statu conservavit. Aliàs si prioris conditionem meliorem non fecisse repertus fuerit, poterit alteri capaci dari, & deteriorans puniri, nisi breve tempus eum excuset. Pariter conditiones circa distributionem, sive ex Revisione triennali impositas non adimplentes, melioremque conditionem (*ùt dictum*) Villæ aut Domûs non facientes, privantur possessis, & incapaces ad alia declarantur. Quas conditiones secundùm consistentiam per Capitulum rationabiliter impositas nunquam immutare licet.

Corollarium 5tum. Canonicatum seu Canoniam distingui à Præbenda propriè sumpta. Aliquando enim Præbenda sumitur (a) pro ipso titulo Beneficii, ac præsertim Canonicatûs. Aliquando pro certa (b) portione fructuum Beneficii de per se distincta, nihil spiritualitatis habente: veluti quodam prædio & commoditate temporali pro solvendis salariis, Procuratoris, Musicorum & similium. Propriè verò & præcisè sumitur pro (c) Patrimonio & red-

(a) *tot. tit. De Prabend. & De Concess. Prabend. Gonzal. loc. cit. gl. 5. §. 1. n. 3. & 7.* (b) *gl. & DD. in c. Cum M. De Constit. Clemen. fin. De Prabend.* (c) *c. Relatum. c. Dilecto eod. & d. gl. in c. Cum M.*

redditu Beneficii, prout sunt quædam accessio titulo Canoniæ, & quædam annexio rei spirituali, titulum & Canoniam sequens.

In Præbenda enim duo considerari: nempe Jus ipsum Præbendæ, quod per se est spirituale, & fructus ex ea provenientes. Quare Canoniam distingui à Præbenda Canonicali, patet vel *ex communi Stylo Curiæ*, qui in Bullis Provisionum solet apponere hæc verba = *Canonicatum & Præbendam vacantem* = nam copula = & = ponitur (a) inter diversa. Vel *ex ipsa experientia*: videmus enim in plerisq; Ecclesiis vel omnes, vel aliquos Canonicatus Præbendis carere solasq; distributiones quotidianas habere. Indubitati tamen Juris est, Canoniam, ubi in Ecclesia extant Præbendæ, non debere (b) esse sinè Præbenda.

Differre itaq; Canoniam à Præbenda præter *dicta immediatè*. *Tum* ex eo: quia Canonia est quoddam Jus spirituale, quod provenit ex electione & receptione (c) in Fratrem: Præbenda verò procedit ex institutione & Officio: quia ex quo quis habet Officium, debet habere (d) & beneficium. *Tum* quia *Canonia* definitur: quòd sit Jus spirituale, per quod quis habet non solùm stallum in Choro, & locum in Capitulo, verùm etiam Jus ad Præbendam, & facultatem actu percipiendi distributiones quotidianas. *Præbenda* verò est Jus spirituale oriens ex Canonia quò ad ea, quæ spectant ad perceptionem fructuum & proventuum Beneficii Ecclesiastici, competens Divino Officio. Itaq; licèt Præbenda, ùt *dictum hic* possit sumi pro ipsa temporalitate, tamen propriè sumpta habet (e) aliquid spiritualitatis distinctum à Jure spirituali Canoniæ.

Istius autem Canonicatus aut Præbendæ debet fieri Optio (f) *regulariter* intra viginti dies. Quod tempus at-

tentô

(a) *c. Querelam De Simon.* (b) *gl. in d. c. Cùm M. v. Receperunt. & v. vacaverat. text. in d. c. Relatum. & c. Dilectus. il 1. De Præbend.* (c) *d. c. Cum M. & ibi gl. v. Receperunt, c. Dudum & d. c. Dilectus. De Præbend.* (d) *c. Inter Cætera. De Privil. c. Eam te. De Rescript.* (e) *text. in c. Cùm super quæstione. De Concess. Præbend. & in c. Dilectus. il 1. & in c. Dilecto. De Præbend.* (f) *text. in d. c. fin. §. Ne autem. & ibi gl. v. viginti dies. De Consvet. in 6to. Rota in Bononien. Canonicatus sive Optionis. Luna 26. Junii. 1690. cor. Ursino. n. 14.*

tentô Statutô & Consuetudine Cathedralium & Collegiatarum, sicut potest minui (a) per Capitulum ipsum, cùm hæc dilatio in favorem optare volentium inducta sit, cui quilibet renuntiare (b) potest: sed non aliter, nec aliàs minui potest, nisi accedente omnium consensu, & non sufficere consensum majoris partis Capituli propter interesse, quod in ea re (c) singuli habent, adeoq; quod omnes tangit, ab omnibus (d) approbari debet. Ita quoq; per Capitulum hocce tempus viginti dierum poterit (e) prorogari: quæ tamen Consuetudo seu Statutum inducens majus tempus, quàm viginti dierum ad optandum non præjudicaret (f) Apostolicis impetrantibus. Currit autem ejusmodi tempus viginti dierum omnibus simul optare volentibus, & omnibus unicum (g) tempus datur: absurdum enim esset, si v.g. essent viginti Canonici, & singulis tribuerentur viginti dies: quia impetrans Apostolicus deberet expectare ultra annum, quod est contra mentem & verba textûs in *cit. c. fin. De Consvet. in 6to.* Et quidem currit à die (h) scientiæ non vacationis: & non sufficit ficta illa (i) notitia, quòd nimirum vacatio sit nota in loco vel Ecclesia Beneficii.

Quod si illi omnes, qui optare debebant, justè impediti fuerint, durante ejusmodi impedimento eisdem illud (k) tempus non currit, modò impedimentum non sit affectatum: multò magìs minoribus, quibus præscriptio (l) temporalis non currit. Et datô: quòd ipso Jure currat tempus illud optandi, adhuc competet tam minoribus ex causa ætatis, quàm absentibus, justève impeditis in integrum (m) restitutio. Quamvis enim in illis, quæ merè spiritualia sunt, ùt Matrimonium, in-

(a) *gl. penult. in d. c. fin.* (b) *c. Ad audientiam. 2. De Rescript.* (c) *c. Quia propter. c. Cum in Jure peritus. De elect.* (d) *c. Quod omnes & ibi DD. de R. J. in 6to.* (e) *Monet. loc. cit. cap. 6. q. 2. n. 7.* (f) *text. in d. c. fin. ibi* = Nisi Consvetudo = *& Rota in d. Bononien. n. 3. & 15.* (g) *ibid. & ibi gl. §. Duntaxat.* (h) *d. gl. ibid. §. Viginti dies.* (i) *Clemen. un. §. Cæterum. De Conces. Præbend.* (k) *text. in l. 1. c. Quia diversitatem. C. De annuali except. eod.* (l) *text. in l. fin. C. in quib. Caus. restitutio. in integr.* (m) *text. in l. 1. ff. Ex quib. caus. maj. l. Et si sine § fin. ff. De minor.*

ingreſſus Religionis, votum & ſimilia, minor (a) non reſtituatur, tamen in iis, quæ ſpiritualibus ſunt annexa, qualis eſt materia beneficialis, datur minori (b) enormiter læſo reſtitutio in integrum.

Regulariter autem per Optionem vacat ſaltem (c) aliquo modo Præbenda, quam in ea Eccleſia Optans habebat: nam ſi non vacaret, non poſset ſinè ſpeciali Conſuetudine vel Statuto (d) optari: quæ Conſuetudo optandi omnino eſt (e) attendenda. Et in Optione dicitur (f) dimitti Præbenda, quæ habetur, per dimiſſionem verò dicitur vacare (g) Præbenda & Beneficium. Pariter Optante Canonico aut Beneficiato Præbendam aliquam in Cathedrali aut Collegiata, vel etiam ex ſpeciali Statuto aut Conſuetudine Beneficium ipſum ac titulum, Optioneq; ſubſecuta, vacat (h) ipſo Jure Præbenda vel Beneficium, quæ Optans in eadem Eccleſia tunc obtinet, nec utrumq; retinere poteſt. Quemadmodum quoq; quoties Beneficium vel Præbenda pinguior, quam quis optat, eſt incompatibilis de Jure cum Præbenda vel Beneficio, quod vel quam obtinet etiam in diverſis Eccleſiis, tunc per Optionem ſubſecutam vacat (i) ipſo Jure illa prima Præbenda vel Beneficium: ſecus verò ſi non eſſet ejuſmodi incompatibilitas, quæ induceret vacationem ipſo Jure. Tunc enim is, ad quem ſpectat Optio, ſeu proviſio minoris Præbendæ aut Beneficii, non poteſt optare aut providere, niſi priùs qui optavit majorem Præbendam aliudve Beneficium, voluntariè illud, illamve dimittat, aut à ſuperiore ſuo ad dimittendum condemnatus fuerit.

Denique per Optionem non mutari (k) Canonicatum ſed ſolam Præbendam, aliàs ſi muta-

(a) *gl. & DD. in c. Ex parte De reſtit. Spoliat.* (b) *Gomes. ad Reg. Cancell. de trienn. poſſeſs. q.* 15. *Covarr. lib.* 1. *Variar. reſolut. cap.* 4. *n.* 2. *& ſequ.* (c) *gl. in d. c. fin.* V. *Non fuerit.* (d) *d. gl.* V. *Cùm vacant.* (e) *Rota in Salamantina Canonizatus Luna* 25. *Junii.* 1696. *cor. Muto. n.* 1. (f) *ct. DD.* (g) *c. Is cui De Præbend. in* 6to. *Extravag. Execrabilis. Joannis XXII. & Clemen. fin. De Præbend.* (h) *d. Clemen. fin. Monet. loc. cit. cap.* 6. *q.* 6. *à n.* 59. (i) *DD. ap. Monet. loc. cit. n.* 65. (k) *text. in d. c. fin. ibi* = Meliores optare Præbendas = & infra = Cùm Præbenda vacabit, & illa, quæ optata non fuerit = *& ibi gl.* V. *Proviſiones.*

mutaretur in Optione Canonicatus, Optans fieret novus Canonicus, ideoq; sedere deberet ultimô locô inter Canonicos ejusdem Ordinis & gradus, quod est contra rationem & communem praxim: quia Optans non perdit antiquitatem, sed potiùs illam (a) conservat & auget. Mutatur tamen per Optionem Jus spirituale, quod est annexum (b) Præbendæ: ac ubi sunt Præbendæ distinctæ, probabiliter dici, mutari quodam modo titulum Beneficialem & Præbendalem, quatenus titulus sumitur pro Jure illo spirituali (c) Præbendæ.

Insuper quando Optio fit intra eundem ordinem, ascenditur etiam saltem per accidens ad locum superiorem ac novum Stallum in Choro. Nam cùm Præbenda non optata debeat dari noviter Proviso, & ille debeat sedere in inferiore loco, necessariò fit, ut alii gradatim ascendant. Non mutatur autem locus ita, quasi de novo tribuatur, sed solùm per ascensum: & fit per accidens, cùm fiat non tam vi Optionis, quàm mutationis Canonicatûs & novæ provisionis, quæ alteri fit, qui deinde in inferiori loco (d) sedere debet. Quod si Optio fiat ex speciali Consuetudine de ordine ad ordinem, seu de gradu ad gradum, optando quis Præbendam superioris ordinis, simul etiam optabit (e) Stallum in illo ordine, nisi speciali Consuetudine aliud inductum fuerit.

CONCLUSIO IV.

Juri Optandi sicut potest derogari, ita idem Jus per contrarium usum tolli potest.

Corollarium 1mum. Quemadmodum indubitanter amplectimur plenitudinem potestatis, (f) respectu Beneficialium in Summo Pontifice residere, ita dicimus posse eundem in specie derogare (g) Optioni, eamq; tollere. In dubio verò non censeri, velle Pontificem derogare Optioni

(a) *Gonzal. d. Reg,* 8. *Cancell. gl.* 34. *n.* 50. (b) *Monet. loc. cit. cap.* 7. *q.* 1. *n.* 19. (c) *Idem ibid. à n.* 20. (d) *Idem ibid. q.* 2. *n.* 30. & *sequ.* (e) *c. Statuimus, De Majorit. & Obedien.* [f] *c.* 2. *De Prebend. in* 6to. & *ibi. DD.* (g] *cc. DD. in d. c. fin. Rot. decis.* 5. *n.* 1. *De Consuet. in nov.*

ni jam factæ, aut Juri ſeu Statuto, vel Conſuetudini de optando: nam in dubio Papa cenſetur nolle præjudicare (a) Juri quæſito per tertium. Et procedit tam quò ad modicum, quàm ad magnum præjudicium: & tam quò ad Jus ad rem, quàm quò ad Jus (b) in re. Sive ergo per Optionem acquiratur Jus in re, ſeu ad rem, non cenſebitur ei derogatum, niſi expreſſè id fiat per Clauſulas ſpeciales vel generales juxta caſuum diverſitatem.

Corollarium 2dum. Quando Pontifex providet de Beneficiis vacantibus apud Sedem, nulla opus eſt derogatione, cùm in iis non poſſit fieri Optio, Proviſuſq; ſit (c) ipſo Jure tutus. Et procedit, ubi *motu proprio* & non ad inſtantiam Partis fit (d) reſervatio. Cæterum quando Papa confert vel mandat conferri *motu proprio* Præbendas generaliter reſervatas, requiritur derogatio ſaltem generalis Optionis (e) per Clauſulam = *non obſtantibûs Statutis vel Conſuetudinibûs dictæ Eccleſiæ* = Nunquam enim Pontifex intendit derogare Statutis & Conſuetudinibus Eccleſiæ, niſi de iis mentionem faciat. Quamvis probabile ſit, non requiri hanc generalem derogationem: ex quo Pontifex reſervando, derogat omnibus (f) Juribus & Statutis, tollitq; omnem poteſtatem conferendi, adeoq; tollit tam Jura, quàm Statuta & Conſuetudines, quæ dant poteſtatem optandi. Et in Beneficiis vacantibus in menſibus reſervatis non requiritur derogatio etiam generalis Optionis; *tum*, ob immediatam rationem: *tum*, quia *in d. Reg.* 8. *Cancell.* fit expreſſa derogatio Statutorum & Conſuetudinum optandi pinguiores Præbendas.

Corollarium 3tium. Nihilominus in reſervatione ſpeciali, quæ fit, quando Papa confert, vel mandat conferri ali-

[a] *c. Ex parte. De Offic. Deleg. c. Si propter. De Reſcript. in* 6to. *Reg.* 18. *Cancell.* de non tollendo Jus quæſitum. [b] *Felin. in c. Super eo. De Offic. Deleg. Gomes. d. Reg.* 18. *q.* 1. *Vers. alii verò.* [c] *text. in d. c. fin. & ibi DD. Vers. In Præbend.* [d] *Gonzal. d. gl.* 34. *n.* 2. [e] *text. in c.* 1. *De Conſtit. in* 6to. *c. Conſtitutus. De Reſcript. c. Cùm in Eccleſia De Præbend. in* 6to. [f] *DD. ap. Monet. loc. cit. cap.* 8. *q.* 1. *n.* 8.

aliquam Præbendam, quæ alioqui per Ordinarium Collatorem conferri deberet, & non est à Jure Communi, aut per aliquam Extravagantem aut Regulam reservata, distinguendum est: aut fit *motu proprio*, maximè cum Clausula generali = *non obstante* = & Optio locum non habebit: aut fit ad petitionem alterius, & requiritur (a) specialis derogatio. Nam quando *ad instantiam Partis* confertur, vel mandatur conferri, id procedit ex radice ambitionis, quod est (b) restringendum: quando verò *motu proprio* scribitur cum Clausula = *non obstante* = non habetur respectus (c) nisi ad scribentem, qui Legibûs non arctatur, adeoq; sufficit, quod ejus intentio quomodocunq; deprehendatur, quæ satis apparet, quando *motu proprio* scribit per clausulam ipsam = *non obstante* = Quidquid sit de *Expectativis* (quæ hodie parum attenduntur) quando scilicet Papa mandat provideri de Præbenda primò vacatura, Optio omnino locum habebit: nisi in *Litteris Expectativis* fiat expressa (d) derogatio Consuetudinis vel Statuti de optando, & sufficere (e) *generalem*, quando in specie Papa mandat provideri de pinguiori Præbenda cum generali derogatione Statutorum & Consuetudinum: vel etiam sufficere *motum proprium* cum dicta generali Clausula = *non obstante.* =

Quam derogationem Juri Optandi non posse fieri per Legatum de Latere, nisi ad id sufficientem habeat facultatem, posse derogare Consuetudini seu Statuto optandi. Nam per ejusmodi derogationem agitur de tollendo Jure alterius in Beneficialibus, quod competit ipsi & soli Pontifici, *per dicta immediatè.* Quod ipsum extenditur etiam ad Indulta concessa Cardinalibus aut aliis conferendi Beneficia, quæ non derogant Consuetudini aut Statuto (f) optandi, etiamsi in illis apponatur Clausula = *non obstantibûs Statutîs & Consuetudinibûs &c.* =

Corol.

[a] *DD. ap. Monet. loc. cit. n. 11.* [b] *c. Quamvis. De Prabend. in 6to, Clemen. 1. in fin. eod.* [c] *Cassad. decis. 4. n. 7. De Concess. Prabend* [d] *text. in d. c. fin.* [e] DD. *ap. Monet. loc. cit. n. 15.* [f] *DD. ibid. n. 17.*

Corollarium 4tum. Non usus non tollit Consuetudinem optandi, cùm actus hic sit merè (a) voluntarius, per non usum verò non tollitur actus facultativus; seu non præjudicatur facultati (b) actum faciendi: nam Jura facultatis sunt imprætscriptibilia, & libero (c) non præscribitur. Huc accedit, quòd Consuetudo non tollitur per non usum, sed tunc demum si habuit (d) implicitum contrarium usum: sicut & lex non tollitur per actus (e) negativos etiam per mille annos, adeoq; neq; consuetudinem optandi tolli per non usum. Tollitur tamen per contrarium usum, accedente maximè contradictione, dummodo observatus fuerit (f) tanto tempore, quantum requiritur ad inducendam Consuetudinem. Hinc sequitur, *alterum*, quòd requiratur spatium 40. annorum ad hanc Consuetudinem tollendam, *per dicta superiùs*: cùm tantum temporis requiratur ad eam (g) inducendam, ubi Præbendæ distinctæ sunt, siquidem est contra Jus. *Alterum*, quòd non sufficiat unus actus contrarius, cùm neq; ad inducendam sufficiat, solus unicus, ùt *dictum supra*: nisi fortè Consuetudo non esset completa, nam tunc per unicum (h) actum tolleretur, vel saltem interrumperetur.

Corollarium 5tum. Neque ambigimus, quin Summus Pontifex per Constitutionem non modò Consuetudinem, verùm etiam Statutum optandi tollere possit. *Ratio 1mi*: quia Princeps potest per legem suam tollere (i) Consuetudinem, adeò; ut non valeat contraria postea inducta. *Ratio 2di*: nam potest quilibet Superior, multò magis (k) Pon-

(a) *text. in d. c. fin. ibi* = Si voluerint possint, cùm vacant, per se, vel per alios optare Præbendas = (b) *DD. in d. c. fin.* (c) *gl. in l. un. V. Pro Socio. C. De annali except. & DD. in d. c. fin. Gonzal. d. Reg. 8. gl. 5. §. 6. n. 35. & sequ.* (d) *Monet. loc. cit. q. 2. n. 22. & DD. quos allegat.* (e) *Felin. in c. Cùm accessissent. Vers. Hanc. regul. De Constit. gl. & DD. in c. Vt privilegia. De Privil.* [f] *gl. in c. Cùm de Beneficio De Præbend. in 6to. & DD. ap. Monet. loc. cit. n. 25.* [g] *gl. in l. Nemo ff. De R. J. Gonzal. d. Reg. 8. gl. 7. n. 27.* [h] *Felin. loc. cit. Vers. Quintus Casus.* [i] *Abb. in d. c. fin. n. 22. Alex. in l. Si non speciali n. 4. C. De testib.* (k) *text. in c. 1. De Constit. in 6to.*

Pontifex tollere Statuta particularia inferiorum. *Ratio utriusq;* quia per Statutum & Consuetudinem optandi nequit dici acquisitum ullum jus saltem singulis, ùt *dictum supra*: potest autem Princeps præjudicare per Constitutionem suam (a) in acquirendis, imò & in acquisitis, maximè in beneficialibus Papa, per *dicta superiùs*.

Sequitur quoq; per Statutum Ecclesiæ simul & Episcopi tolli posse tam Consuetudinem, quàm Statutum optandi. Nam potest hoc Jus optandi induci per Statutum, ùt *dictum supra*. Quare si Consuetudo optandi tolli potest per Statutum multò magis per aliam Consuetudinem, quæ fortior est Statutô: cùm hoc non possit (b) fieri contra legem, sicut Consuetudo, modò sit rationabilis & legitimè præscripta, ùt *dictum*. Itaque indubitati Juris est, posse Statutum optandi tolli contraria Consuetudine, quia Consuetudo potest derogare Juri Communi, quod fortius est particulari (c) Statutô, multò magis derogabit Statuto, & illud tollet. Et hæc sunt, quæ spectabant ad præsentem Quæstionem de Optione Canonica.

(a) *Monet. loc. cit. q. 3. n. 36.* (b) *Can. inferior. dist. 21. c. Cùm inferior. De Major. & Obed.* (c) *c. fin. cùm ibi not. De Consuet.*

Hinc

DEO Ter Optimo Maximo

Qui ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilii sui, apposuitqué ei aquam & ignem, ad quod voluerit, porrigat manum suam. *Eccli. 15. v. 14. & 17.*

Honor & Gloria.

****